

PANNONIUS (Janus)

POEMATA (10640 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition des *POEMATA* de Janus Pannonius parue à Utrecht chez Bartolomeus Wild, en 1784.

## III

## EPIGRAMMATUM LIBRI DUO (2544 vers)

## I

## EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS. (2280 vers)

## DE ELECTIONE MATTHIAE REGIS UNGARIAE.

E1_1	v.1	Cum videt Hungarici vectum ad fastigia regni
	2	Matthiam, presso gutture corvus ait :
	3	"Illa ego vexillis, ales gestata paternis,
	4	jam fateor geminae cedere laeta cruci.
	5	Sin vel sculpar adhuc, vel pingar sorte sub illa,
	6	ingens et voto gratia major erit.

## COMPRECATIO DEORUM PRO REGE MATTHIA IN TURCOS BELLUM PARANTE.

E1_2	v.1	Rex pia Matthias in Turcos signa resumit,
	2	nunc age de toto Numina adeste polo.
	3	Da clavam, Alcide, juveni, da, Phoebe, sagittas,

4 Mars, gladium ; Pallas, Gorgona ; Castor, equum.  
 5 Mulciber arma para non ullis pervia telis,  
 6 qualia Pelidae, Dardaniove duci.  
 7 Hunc inter pugnae certamina, vulnere ab omni,  
 8 Aegide praetenta, Jupiter, ipse tegas.  
 9 Quodsi lenta juvant residis vos otia vitae,  
 10 solum siderea, mittite ab arce patrem.  
 11 Sufficit ille suo custos in proelia nato,  
 12 ille modo in caelo missile fulmen habet.

CONQUERITUR DE MORA REGIS.

E1\_3 v.1 Horrida saevit hiems, et adhuc, rex inclyte, bellas,  
 2 excutiunt densae, nec tibi tela, nives.  
 3 Ipsos triste gelu vaginis detinet enses,  
 4 nec possunt rigidae frena movere manus.  
 5 Tu tamen et pugnas misces et moenia frangis,  
 6 tantum vel Martis, vel genitoris habes.  
 7 Otia jam placeant ; castris mox rite locandis,  
 8 commodiora novi tempora veris erunt.

DE CAPTIVITATE DRAGULAE WAJVODAE TRANSALPINI.

E1\_4 v.1 Dicite, Io Paeon ! Captus fert vincla tyrannus,  
 2 si modo non falsum publica fama sonat.  
 3 Dicite rursus, Io Paeon ! Et carmina festis,  
 4 Pierides Nymphae, jungite festa choris.  
 5 At tu, cui nullo decus hoc cum sanguine venit,  
 6 ut quid jam medio frigore victor abes ?  
 7 Hoc unum cuncti te supplice voce rogamus,  
 8 redde tuos vultus, rex venerande, tuis.  
 9 Sin populi nil vota movent, hoc sponsa precatur,  
 10 hoc genitrix ; an et his, dure, negare potes ?

CONQUERITUR DE MORA REGIS MATTHIAE IN MOLDAVIA.

E1\_5 v.1 Sarmatici montes, et vos septemplex Istri  
 2 caerulea Euxino cornua mixta mari,  
 3 ac tu Romanis olim possessa colonis,  
 4 sed jam corrupto, barbara terra, sono ;  
 5 quid dominum lentis longe retinetis in armis ?  
 6 An gelidum Tanain vultis ut ille bibat ?  
 7 Plena quater, totidem complet jam Cynthia menses,  
 8 dicere adhuc magno, nec licet ore : "Venit !  
 9 Quando erit ut redeat ? Quando redimita coronis  
 10 plaudet laeta suo Buda Neoptolemo ?"  
 11 Reddite, si pudor est, absentem reddite tandem,  
 12 nubere parva viro jam Catharina potest.

DE CATHARINA REGINA HUNGARIAE.

E1\_6 v.1 Nostri primus amor, stirps regis clara Boemi,

2 post matris lacrimas, oscula pauca patris,  
 3 cum jam Pannonicas aucta inviseret oras,  
 4 edidit hos praesens Calliopea sonos :  
 5 mutasti patriam, mutare vocabula debes,  
 6 sis, Catharina, volo, quae Cunegundis eras.

AD MARTEM, PRECATIO PRO PACE.

E1\_7 v.1 Gradive, quinti clare dominator poli,  
 2 spargens coruscas luce sanguinea jubas,  
 3 Junone magna genite, Saturni nepos,  
 4 tutela caeli, summe Titanum timor ;  
 5 gaudens tropaeis, pacis ac belli arbiter,  
 6 decorator hominum, consecrator Numinum,  
 7 Gradive, ferro tecte semper fulgido,  
 8 vastator agrum, dissipator urbium,  
 9 vacuator orbis, Tartari impletor trucis,  
 10 potor cruorum, devorator corporum,  
 11 lues virorum, mulierum exsecratio,  
 12 ditator inopum pauperator divitum,  
 13 osor quietis, genitor obscenae famis,  
 14 auctor pavorem, concitor formidinum,  
 15 jam parce fessis, quaeso, Pannoniis, pater.

GRATULATUR DE DUPLICI VICTORIA MATTHIAE.

E1\_8 v.1 Nunc age, si quando sacrum Paeana, Camenae,  
 2 tollite dulcisonis sidera ad alta modis ;  
 3 qualem Phlegra Jovi cecinit, vel Lydia Baccho,  
 4 sub juga cum tigres India victa dedit,  
 5 sed Jovis et Bacchi felix victoria quondam  
 6 magna licet fuerit, non duplicata fuit.  
 7 Matthiae gemini simul accessere triumpho,  
 8 una simul fixit, bina tropaea, manus.  
 9 Nam Transsilvaniae subit en ! Moldavia palmae,  
 10 Non tam astu, ferro quam superata gravi.  
 11 Succubere duae, diversis artibus, orae,  
 12 hanc virtus, illam contudit ingenium.  
 13 Pugnavit nullo solers ibi sanguine Pallas,  
 14 hic Bellona suos perculit ipsa Getas.  
 15 Quid nunc, sancte, tuis optemus, Jane, calendis ?  
 16 Talibus auspiciis proximus annus eat !

DE SIGNO JOANNIS VITEZII ARCHIEPISCOPI.

E1\_9 v.1 Dum fera Matthiae premitur Moldavia regi,  
 2 [LACUNE]  
 3 [LACUNE]  
 4 Joannis signum praesulis illud erat.  
 5 Rettulit hoc domino, fisis sua turma Valachis,  
 6 devota templis obtulit ille manu.

DE SIGNIS, QUAE MOLDAVIS EREPTA,  
IN TEMPLO B. VIRGINIS BUDAE SUSPENDEBANTUR.

E1\_10 v.1 Rex, tibi Matthias haec signa, puerpera Virgo,  
2 Moldavis forti nuper adempta manu.  
3 Quae modo barbaricas duxere in bella catervas,  
4 nunc sacro pendent conspicienda tholo.  
5 O mactum virtute duces ! Cui contigit uni,  
6 in propria duos sternere sede Getas.  
7 At tu, Diva, suis iterum sic annue votis,  
8 victor ut e Turcis mox tibi plura ferat.

DE DIVITE LAUDANTE PAUPERIEM.

E1\_11 v.1 Candida restituit versi clementia fati,  
2 tristior abstulerat quas tibi casus opes.  
3 Laudata veterum tu paupertate virorum,  
4 de Cincinnatis disseris et Curiis.  
5 Sic ubi securos tetigit jam navita portus,  
6 ventorum faciles despicit ille minas.  
7 Cum miser es, mihi tunc, Matthias, Stoicus esto,  
8 nunc impune tibi fortia verba volant.

SE IPSUM EXCUSAT, QUOD NON PROELIA TRACTET.

E1\_12 v.1 Belligeri proceres, me regia castra sequentem,  
2 ne frustra ignavi carpente quaeso metus,  
3 quod numquam adversos decurro armatus in hostes,  
4 scando nec obsessi moenia celsa loci,  
5 sed spectator iners aliena pericula miror,  
6 non timor hoc, vestri, credite, cura jubet.  
7 Gloria nempe viri petitur longissima vobis,  
8 haec faciles plagas, funera grata facit.  
9 Quodsi pugnantem rapiat fors ulla, poetam,  
10 quis vestras mortes, funera vestra canet ?

EPITAPHIUM JOANNIS HUNYADI, MATTHIAE REGIS PATRIS.

E1\_13 v.1 Pannoniae murus, Turcorum terror in armis,  
2 si qua Joannes hac tegetetur humo ;  
3 sed sub Belgrado mundi superavit ut hostem,  
4 morte simul domita, sidera vivus adit.  
5 Multi laurigeris Capitolia celsa triumphis  
6 conscendere duces ; solus at iste polum.

PALAESTRAM GALEOTTI.

E1\_14 v.1 Qualis in Aetola maerens Achelous arena,  
2 Herculeae legit cornua fracta manu ;  
3 talis luctator Galeotto fusus Halessus,  
4 turpia pulvereae signa reliquit humo.  
5 Matthiae regi Latiae placuere palaestrae,

6 risit Strigonia clarus ab arce pater.  
 7 At te ne pudeat ludi cessisse magistro,  
 8 improbe, Mercurius noster et ista docet.

DE MUNITIONIBUS AB ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI CONSTRUCTIS.

E1\_15 v.1 Pannonici dum sceptrum tenet felicia regni  
 2 Matthias clarum stirps imitata patrem ;  
 3 condidit hoc pastor Joannes nobile saeptum,  
 4 in patulo positae ne raperentur oves.  
 5 Pro quibus officiis, superae tu janitor aulae,  
 6 sidera, Petre, duci sidera pande gregi.

DE CERVO REGIUM TRAHENTE VEHICULUM.

E1\_16 v.1 Quod nemorum oblitus, posita formidine, cervus  
 2 non homines metuit, nec rabida ora canum ;  
 3 mollia sed leviter docili trahit esseda collo,  
 4 inclyte rex, meriti quis neget esse tui ?  
 5 Talis cornigeris Diana jugalibus alte,  
 6 frondosi vehitur per juga Taygeti.  
 7 Talis erat nondum famulorum praeda suorum,  
 8 compos adhuc mentis, versus Agenorides.  
 9 Quis jam adeo ferus est, tibi qui servire recuset,  
 10 accipiant ipsae cum tua frena ferae ?

DE CORONA REGNI AD FRIDERICUM CAESAREM.

E1\_17 v.1 Quid retines nostram, Caesar Friderice, coronam ?  
 2 Fausta umquam genti non fuit illa tuae.  
 3 Testis erit primae fraudatus flore juventae,  
 4 Henricus, Stephano quem pia Gesla dedit  
 5 testis bis pulsi letum miserabile Petri,  
 6 ac Salomoniacae crebra ruina fugae.  
 7 Testis quin etiam spoliati casus Othonis,  
 8 nec non Alberti mors properata tui.  
 9 Testis et ille tua puer enutritus in aula,  
 10 qui nuper thalamos occidit ante novos.  
 11 Horum tu, si quid sapias, exempla timebis ;  
 12 felix, alterius qui cavet ipse malo.  
 13 Nec tanti facies tam vani nominis umbram,  
 14 fatorum ut similes experiare vices.

EPITAPHIUM JOANNIS HUNNIADIS.

E1\_18 v.1 Joannes jacet hic, Turcorum ille horror in armis,  
 2 ille gubernatae gloria Pannoniae.  
 3 Huniadum creat hunc, Comitem Bistricia sumit,  
 4 Nandoris Alba rapit ; nunc tenet Alba Julae.

## AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM.

E1\_19 v.1 Quo tibi tot duros et luce et nocte labores,  
 2 o numquam curis non agitate pater ?  
 3 Hoc ave Caucasia est sine fine Promethea rodi,  
 4 hoc fulcire humeris semper Atlanta polum.  
 5 Tamne juvat nulla mentem requiete remitti,  
 6 sic leve continuis insenuisse malis ?  
 7 Nil est in terris quod non aerumna fatiget,  
 8 nec tua perpetuo membra adamante rigent.  
 9 Trux quondam Alcides, vagus et requievit Ulixes,  
 10 credimus et dominum saepe vacare Jovem.  
 11 Si sapis, ex aliqua tuus esto parte, nec umquam  
 12 sic aliis vivas, ut tibimet pereas.

## AD FRIDERICUM CAESAREM.

E1\_20 v.1 Romula res olim Fabio cunctante revixit,  
 2 nunc, cunctante eadem te, Friderice, perit.  
 3 Nam tu continue consultas, nec facis umquam,  
 4 mallet aliquid faceres vel sine consilio.  
 5 Quid tibi cum gelido Saturni sidere inertis ?  
 6 Caesaribus mores Martis inesse decet.

## INVITAT REGEM MATTHIAM AD HOSPITIUM SUUM.

E1\_21 v.1 Sic tibi, sed sero, pateat domus aurea Divum,  
 2 Matthia regi, rex adamate, Jovi ;  
 3 huc ades, et nostris succede penatibus hospes,  
 4 nec modicum Princeps, despice magne, larem.  
 5 Fertur et immensi pacator maximus orbis,  
 6 parva Molorcheae, tecta subisse casae,

## GALEOTTI PEREGRINATIONEM IRRIDET.

E1\_22 v.1 Cur et tu, rogo, cur, poeta cum sis,  
 2 Parnassi tamen arce derelicta,  
 3 cum capsula, Galeotte, cum bacillo,  
 4 Romanam peregrinus is in urbem ?  
 5 Hoc plebs credula gentium exterarum,  
 6 hoc larvas solitum timere vulgus,  
 7 hoc turbae faciant hypocritarum.  
 8 Tu senti mihi, quod putavit olim  
 9 vafri callidus Euathli magister,  
 10 aut Divum Theodorus abnegator,  
 11 vel sectae pater ille delicatae,  
 12 summum qui statuit malum dolorem.  
 13 Sin devotio jam beata cordi est,  
 14 si torto juvat ambulare collo,  
 15 cuncta et credere, quae dies per omnes  
 16 rauca praedicat altus e cathedra,  
 17 Albertus pater, et loquax Rubertus,

18 gaudens lacrimulis anicularum ;  
 19 dilectis, age, dic valere Musis ;  
 20 sacras rumpe fides ; et alma Phoebi  
 21 claudo carmina da fabro Deorum.  
 22 Nemo religiosus et poeta est.

LAUDAT OPUS THEOLOGI CUJUSPIAM.

E1\_23 v.1 Quae dictas, ea nec dulci Lactantius aequet  
 2 lacte fluens, nec culta Leonis homilia primi.

DE JACTURA VITAE HUMANAЕ.  
 E CRAECO QUOD EXTAT ANTHOLOG. L.I. CAP. XXIV.

E1\_24 v.1 Nocte cadente orimur, nihil anterioris habentes  
 2 temporis, exceptit nos simul alma dies.  
 3 Semper et hesterni vitam deperdimus aevi,  
 4 principium reliquae lux modo nata facit.  
 5 Esse tibi multos senior ne dixeris annos,  
 6 nam de praeteritis nil hodie retines.

DE THALETE AB ANU IRRISO. DE GRAECO.

E1\_25 v.1 Hauserat, intentum stellis, scobs caeca Thaletem,  
 2 cum super illudens talia dixit anus :  
 3 "Tu, qui fata aliis te pandere posse ferebas,  
 4 nescisti vitae fata videre tuae."

DE LEPORE ET VULPE. E GRAECO.

E1\_26 v.1 Dum lepus instantes cursu non effugit Umbros,  
 2 vulpinam subito vanuit in foveam.  
 3 Cui vulpes : "Vos qui pedibus sic fiditis, inquit,  
 4 cernite quam lentum plus valet ingenium !"

IN PUMILIONEM. DE GRAECO.

E1\_27 v.1 In latebris habita, ne te petat oris acuti  
 2 cuspide Pygmaeis grus inimica viris.

DE AMYGDALO IN PANNONIA NATA.

E1\_28 v.1 Quod nec in Hesperidum vidit Tirynthius hortis,  
 2 nec Phaeaca, Ithacae dux, apud Alcinoum,  
 3 quod fortunatis esset mirabile in arvis,  
 4 nedum in Pannoniae frigidior solo ;  
 5 audax per gelidos en ! Floret amygdala menses,  
 6 tristior et veris germina fundit hiems.  
 7 Progne, Phylli tibi fuit exspectanda ; vel omnes  
 8 odisti jam post Demophoona moras ?

## DE PRODIGIO, CLADEM SUMMO PONTIFICI SIGNIFICANTE.

E1\_29 v.1 Quem meus aligera venator cuspide cervum  
 2 perculerat, ravi diripuere lupi.  
 3 Omine perturbor, ne forsitan improbus hostis,  
 4 Petre, tibi sacras depopuletur oves.  
 5 Astra minantur idem ; sed tu, sanctissime mundi  
 6 janitor, in melius tristia monstra refer.  
 7 Summa tibi terrae, caeli est tibi summa potestas,  
 8 solvere sive aliquid, sive ligare velis.  
 9 Quodsi non aptas, haec ad tutamina claves  
 10 causaris, gladium te prope Paulus habet.  
 11 Armato manda collegae proelia inermis,  
 12 ille tuum stricto proteget ense gregem.

## DE PHRYNE, A QUA THEBAE RESTITUTAE FUERUNT. E GRAECO.

E1\_30 v.1 Quas ut Agenorides fundarat Apolline Cadmus,  
 2 Amphion dulci carmine munierat ;  
 3 restituit stratatas Phryne meretricula Thebas,  
 4 dum petitur multis, candida forma, procis.  
 5 Risit Vitisator ; contra at Tirynthius heros :  
 6 "Nunc, inquit, vere moenia nostra jacent."

## DE EADEM PHRYNE.

E1\_31 v.1 Eversas reparat dum Thebas aurea Phryne,  
 2 femina tam multis una petita viris,  
 3 sacra Amphioniae fidis olim plectra secuti,  
 4 nudatis montes erubuere jugis.  
 5 Illa levi risu : "Nescitisne, improba, dixit,  
 6 saxa, quid hac habeat juris in urbe Venus ?  
 7 Jam vos cum tenerae doceant ita currere chordae,  
 8 quale nefas homines, si mea forma trahit ?"

## LAUDAT NICOLAUM PEROTTUM.

E1\_32 v.1 Mittere laurigero tentabam nostra Perotto  
 2 carmina, cum domino sic ait ipse liber :  
 3 "Inspice quid facias, doctissimus ille novorum  
 4 dicitur, et priscis non minor esse viris.  
 5 Acria formido subtilis acumina limae,  
 6 neve notet nugas, stella veruve, meas.  
 7 Quodsi contingat tanto me vate probari,  
 8 tunc ego vel Metio Quintiliove legar."

## IN VALLAM.

E1\_33 v.1 Ipse deas ausus reprehendere Valla Camenas,  
 2 iudicium fertur pertimuisse suum.



## DE GRAECO.

E1\_34 v.1 Nec Pelopis regnum, nec sit mihi divitis auri  
 2 copia, neve leves antevolem Zephyros ;  
 3 hic te complexus moduler sed rupe sub alta,  
 4 inter oves, Siculum prospiciens pelagus.

## AD GALEOTTUM NARNIENSEM.

E1\_35 v.1 Haec tibi Pannonicis epigrammata mittit ab oris,  
 2 inter Hyperboreas maximus Ister aquas.  
 3 Nec te mirari nimium, Galeotte, decebit,  
 4 esse videbuntur vix mea, si qua tibi.  
 5 Scilicet ingenio multum locus addit et aufert,  
 6 inter et est sub quo sidere carmen eat.  
 7 In Latiis scripsi fortasse Latinius oris,  
 8 at nunc barbarico barbara in orbe crepo.  
 9 Hic Maro ponatur ; fiet lyra rauca Maronis,  
 10 huc Cicero veniat, mutus erit Cicero.  
 11 Tu tamen haec tali poteris deducere lima,  
 12 vel critici ut medio nata Helicone putent.

## COMPARATIO MARCELLORUM, VENETI ET ROMANI.

E1\_36 v.1 Si Marcellorum componas facta duorum,  
 2 Romani Venetus, vincet avi acta nepos.  
 3 Transeo quam praestet servatam Brixia Nolam,  
 4 quantum septenas, perpetuae, trabeas,  
 5 numquam illi visas, toties hic contudit Alpes,  
 6 vecta illi caesis nulla carina jugis.  
 7 Illum unus Sicula, superatum depulit unda,  
 8 parvus adhuc toto luserat iste mari.  
 9 Ille Syracusas trinis vix cepit in annis,  
 10 Verona huic trinos ante recepta dies.  
 11 Ille egit vetitos Albano in monte triumphos,  
 12 posse sua hic numquam plus voluit patria.  
 13 Alter Viridumari tulit, alter opima Philippi,  
 14 si palmam pendas hoste, prior Venetus.  
 15 Hic urbem obsedit Ligurum, Romam ille potentem,  
 16 vallari Libycis pertulit agminibus.  
 17 Primo illi Poenus cessit, Picininus at isti,  
 18 sed victi insidiis concidit ille tamen.  
 19 Desine Marcellum veterem conferre novello,  
 20 omnes Scipiadas hic premit et Fabios.

## SUUM OPUS MODESTE LAUDAT.

E1\_37 v.1 Non est hic, studiosa turba, non est  
 2 festivissimus ille partialis.  
 3 Verum simia Martialis haec est,  
 4 cui tu, non quoties sacro poetae,

5 sed dumtaxat ea vacabis hora,  
6 qua cum simiola voles joculari.

LIBRUM SUUM ALLOQUITUR.

E1\_38 v.1 Argiletanas non tu mea charta tabernas,  
2 non alte excussi ludibria alta sagi,  
3 nec subsannantum sorbentes aera ronchos,  
4 nec naso armatum rhinocerota time.  
5 Non tura aut scombros, non cordylas vel olivas,  
6 nec blattae morsus, aut inopis tineae.  
7 Doctorum iste timor, timuit tuus ista magister :  
8 lividulos homines, tu mea charta, time.

IN GRILLUM.

E1\_39 v.1 Merdas, Grylle, tuas, meo libello  
2 te detergere velle comminaris.  
3 Tergas, Grylle, licet ; modo cruentas.

IN EUMDEM.

E1\_40 v.1 Grylle, caca in nostrum, non deprecor improbe, librum,  
2 dum tantum mixto sanguine, Grylle, caces.

AD MATTHIAM REGEM.

E1\_41 v.1 Hic me rogare tua modo est humanitas  
2 dignata, summe Principum ;  
3 quid tibi meorum vis, poeta, impertiam ?  
4 Secreta praeter quidlibet.

AD RUFUM.

E1\_42 v.1 Cum domus arsisset penitus tibi, decidit imber,  
2 agnoscis liquido, jam puto, Rufe, Deos.

AD GALEOTTUM.

E1\_43 v.1 Qui pueros elementa doces, rutilare capillum  
2 si doceas, facias plus, Galeotte, lucri.

AD EUMDEM.

E1\_44 v.1 Unde tibi, ut nuper quod erat pice nigrius atra,  
2 tam subito rutilum fit, Galeotte, caput ?  
3 Non magis intonsi radiat coma torta Sicambri,  
4 nec si quam Crathis perluit aut Sybaris.  
5 Quae, precor, ars istud, vel quae fortuna peregit ?

6           An potius Divum nobile munus habes ?  
 7   Hoc mirum, posset mutatis addere formis,  
 8           in nova discrevit qui rude membra chaos.  
 9   Ipse ego te primo dubitavi agnoscere visu,  
 10          mox fictum dixi ferre capillitium.  
 11   Jam tango, vix credo tamen ; Cura irrita multis,  
 12          canitiem tincto dissimulare pilo.  
 13   Hic nihil est fuci, sed de radicibus imis  
 14          pullulat, et penitus nascitur iste color.  
 15   Ergo ut vera tibi est, ita sit longaeva juvenus,  
 16          nec decus hoc senio laeserit ulla dies.  
 17   Quae fieri e pulla potuit sic flava, meretur  
 18          ut fiat numquam candida caesaries.

## IN ARROGANTEM.

E1\_45   v.1    Tu, qui tanta sapis, dic unde ciconia rostrum  
           2           sic quatiat, quamvis algeat illa nihil ?

## AD MATTHIAM REGEM.

E1\_46   v.1    Jure colis Venerem mediis, rex inclyte, castris,  
           2           illa tibi lartem conciliare potest.

## AD CONRADAM.

E1\_47   v.1    Quod te Conradam Germania terra vocavit,  
           2           a conradendo nominis istud habes.

## IN CINCILUM FURACEM.

E1\_48   v.1    Plurima quando rapis, te convasare facetus  
           2           dicis, et hoc risu sordida furta premis.

## AD TRIBRACHUM POETAM.

E1\_49   v.1    Tibrache, candentes (si nos ea cura teneret)  
           2           de rubris gemmas erueremus aquis.  
           3   Gentibus ex Arabum varios peteremus odores,  
           4           vellera Ser nobis mitteret, Indus ebur.  
           5   Nunc animum capiant cum tantum carmina nostrum,  
           6           non nisi ab Oenotriis poscimus illa plagis.  
           7   Vobis ingenium, vobis dedit ore rotundo  
           8           Musa loqui ; externi barbara turba sumus.  
           9   Nec Geticum, Pallas colit aut Cyllenius, Histrum,  
          10          sed Phaethontei, brachia amoena Padi.  
          11   Istrum concreto vectantem proelia dorso,  
          12          Mars colit, et Martis sanguinolenta soror.  
          13   At frustra mendico procul, quis solus abundo,  
          14          scilicet Ausonia clarus et ipse lyra.  
          15   Dicunt pastores ; sed non ego credulus illis,

16           inter nam cygnos anseris ore crepo.  
 17       Quodsi non etiam prorsus triviale sonarem,  
 18           haud ideo legerem, Tribrache, vestra minus.  
 19       Ipse Maro assidue Varium Flaccumque terebat ;  
 20           non bene se novit, cui sua sola placent.

## AD RUBERTUM.

E1\_50    v.1       Succenses quia te, Ruberte, bardum  
           2       dixi ; cum potius referre grates  
           3       deberes mihi ; quippe sic poetas  
           4       Gallorum veteres vocant tuorum.  
           5       Quid tu, quid faceres, Ruberte, quaeso,  
           6       si te vel fatuum, vel imperitum,  
           7       verbo simpliciore nominassem ?  
           8       Quantum nunc tibi bilis et veneni  
           9       inflaret misero gulam tumentem ?  
           10       Quis fulmen caperet tui furoris ?  
           11       Quod praeconia nostra si malignus,  
           12       in probris tibi computare perges,  
           13       jam te bardum aliter, Ruberte, dicam.

## DE TRANSLATIONE JOANNIS EPISCOPI VARADIENSIS IN ECCLESIAM STRIGONIENSEM.

E1\_51    v.1       Pangite laurigerae, laetum Paeana, sorores,  
           2       festius et solito, Calliopea sonet.  
           3       Metropolitanae supremum sedis honorem,  
           4       dat Princeps domino, dat pia Roma, meo.  
           5       Haec vox per populos immensi transeat orbis,  
           6       vox haec a terris sidera summa petat.  
           7       Cedat Strigonio Varadinum, Chrysius Histro,  
           8       sit patrum primus, qui modo quartus erat.

## DE PAULO SUMMO PONTIFICE.

E1\_52    v.1       Pontificis Pauli testes ne Roma requiras,  
           2       filia quem similis sat docet esse marem.

## DE EODEM.

E1\_53    v.1       Sanctum non possum patrem te dicere possum,  
           2       cum video natam, Paule Secunde, tuam.

## AD EUMDEM.

E1\_54    v.1       Cum sit filia, Paule, sit tibi aurum,  
           2       quantum pontifices habere raros  
           3       vidit Roma prius ; pater vocari  
           4       sanctus non potes, at potes beatus.

## QUAESTIO ARDUA ET DIFFICILIS.

E1\_55 v.1 Cur penem cunnus, cur contra mentula cunnum  
 2 appetat, haec, vulgo iudice, causa facit :  
 3 Cum primos homines uda ex tellure Prometheus  
 4 confinxit, geminum non variavit opus.  
 5 Membra nec apposuit duplicem dirimentia sexum,  
 6 unde novum posset se reparare genus.  
 7 Mox cum non aliter naturae jura manerent,  
 8 discrevit propriis, corpora bina, notis.  
 9 Quippe puellari raptam de pectine carnem,  
 10 alterius mediis fixit in inguinibus.  
 11 Inde suam partem semper locus ille requirit,  
 12 inde suum semper pars petit illa locum.

## DE GUARINO.

E1\_56 v.1 Quantum Roma suo debet reparata Camillo,  
 2 tantum Guarino lingua Latina suo.

## DE REBELLIONE REGNI TRANSILVANI.

E1\_57 v.1 Castrorum septem crudelis et impia tellus,  
 2 quid dominum contra perfida colla levas ?  
 3 Oblita es famulam, saltem te agnosce parentem.  
 4 Hic tibi, ni Princeps esset, alumnus erat.  
 5 Divitiisne tumes ? Cecidit Campania dives.  
 6 An populo ? Marathon millia quanta premit ?  
 7 Sed tibi sorte animos perjuris proditor auget,  
 8 adspice quam stultum stulta sequere ducem !  
 9 Sit licet ille ferox, et sit bellare peritus,  
 10 sit licet ille potens ; improba causa sua est.  
 11 Vincitur ut causa, pariter vincetur et armis,  
 12 bella placent justo, non nisi justa, Deo.

## QUARE NUNC, UT QUONDAM, SUMMORUM PONTIFICUM TESTICULI NON EXPLORANTUR.

E1\_58 v.1 Femina, Petre, tua quondam ausa sedere cathedra,  
 2 orbi terrarum jura verenda dedit.  
 3 Indeprensa quidem cunctos latuisset in annos,  
 4 facta foret partu, ni manifesta, novo.  
 5 Post haec Roma diu simili sibi cavit ab astu,  
 6 Pontificum arcanos, quaerere sueta, sinus.  
 7 Nec poterat quisquam reserantes aethera claves  
 8 non exploratis sumere testiculis.  
 9 Cur igitur nostro, mos hic jam tempore cessat ?  
 10 Ante probat quod se quilibet esse marem.

## EPITAPHIUM PETRI ZOBII, MILITIS PRAESTANTISSIMI.

E1\_59 v.1 Petrus in hoc Zobius tumulo jacet alter Achilles,  
 2 iste Bohemorum terror, at ille Phrygum.

3 Morte tamen prior hic ; Paridis cadit ille sagitta,  
4 hunc balista, modo fulminis acta, rapit.

## DE MESSIO.

E1\_60 v.1 Cum spoliare parat dejectum Messius hostem,  
2 quod faciat lucri conspicit esse nihil.  
3 Percitus ergo ira, supra caput ense levato,  
4 "Hoc, inquit, solum quod rapiamus habes."

## LAUS PANNONIAE.

E1\_61 v.1 Quod legerent omnes, quondam dabat Itala telus,  
2 nunc e Pannonia carmina missa legit.  
3 Magna quidem nobis haec gloria ; sed tibi major,  
4 nobilis ingenio patria facta meo.

## DE FRANDO NAUFRAGO.

E1\_62 v.1 Naufragus Eridani dum Frandus mergitur undis,  
2 "Siccine me miserum fata necatis ? ait.  
3 Si fueram liquida periturus morte, perissem  
4 per latices potius, dulcis Iacche, tuos."

## AD GUARINUM VERONENSEM.

E1\_63 v.1 Cur, Guarine, tuos, indulgentissime patrum,  
2 non cohibes natos turpibus a vitiis ?  
3 An nescis pridem quid fecerit unus eorum ?  
4 Fecit ut ancillae sis socer ipse tuae.  
5 Ut verna sis fecit avus ; jam fabula tota  
6 urbe volas, et adhuc te tua probra latent.  
7 Cur, inquam, Guarine, tuos, mollissime patrum,  
8 non cohibes natos turpibus a vitiis ?  
9 Talia in ancillas nam si illis saepe licebunt,  
10 in natas aliis crede licere tuas.

## AD GALEOTUM.

E1\_64 v.1 Cum nec amicitia nobis sit junctior ullus,  
2 neu Permessiacis tam madefactus aquis,  
3 carmina Marcelli patrios solantia luctus,  
4 iudicio misi discutienda tuo.  
5 Non ego nunc abs te plausus exspecto crepantes,  
6 nec vanum clames ut, Galeotte, "sophos".  
7 Ista dabit vulgus, vel garrula turba clientum,  
8 tu fac, Quintilio me recitasse putem.

## AD EUMDEM.

E1\_65 v.1 Esse quid hoc dicam ? Rediit, Galeotte, libellus,  
 2 pagina sed nullas, rettulit alba notas.  
 3 Ast ego Aristarchi stellas et acuta verebar  
 4 spicula, Maeonium quis jugulatur opus.  
 5 Quid faciam, nisi uti placuisse vel omnia credam,  
 6 omnia vel prorsus displicuisse tibi ?  
 7 Omnia qui possunt placuisse ? Relinquitur ergo,  
 8 omnia iudicio displicuisse tuo.  
 9 Est quiddam ulterius ; facturas taedia nugas,  
 10 ne legisse quidem, te, Galeotte, puto.

## AD PAULUM.

E1\_66 v.1 Carmina quae nobis, Paule, emendanda dedisti,  
 2 signata haud ullis quod rediere notis,  
 3 ne frustra exsultes ; neu te spes irrita ludat,  
 4 nil opus est signis, pars ubi nulla placet.

## AD LAURUM.

E1\_67 v.1 Mortem, Laure, times ? Frustra mors, Laure, timetur,  
 2 sive Platon verum, sive Epicurus ait.

## AD GALLUM.

E1\_68 v.1 Galle, rogas quae sit perfectae regula vitae ?  
 2 Ne facias, nolis quod fieri ipse tibi.

## AD GALEOTTUM.

E1\_69 v.1 Quaeris amem quam te ? Breviter, Galeotte, docebo :  
 2 ante mori, quamvis junior, opto tibi.

## AD GALLUM.

E1\_70 v.1 Praestiteram decimis, numos tibi mille, Calendis,  
 2 exigo, tu juras prorsus habere nihil.  
 3 Quid nostra ? Jam redde datum. Qui mutua sumpsit,  
 4 is debet, non qui solvere, Galle, potest.

## AD AGAPETUM.

E1\_71 v.1 Mitte tuos tandem nobis, Agapete, libellos,  
 2 mitte, inquam, censor non ero, lector ero.

## AD CLEMENTEM.

E1\_72 v.1 Tempus, ais Clemens, edi mea carmina ; numquid  
2 jam nonus, postquam scripsimus, annus adest ?

## AD GUARINUM.

E1\_73 v.1 Commendas et amas, Guarine, nostrum  
2 quem de te tibi misimus libellum.  
3 Sed laudes et ames librum licebit,  
4 malles versiculis parem monetam.

## AD RUFUM.

E1\_74 v.1 Tot tibi sunt oculi, quot habebant Gorgones omnes,  
2 egerunt tecum quam bene, Rufe, Dei !  
3 Solus habes, quod tres ; effosso sed tamen uno,  
4 sit, precor, incolumis, cetera turba tibi.

## AD SEVERUM.

E1\_75 v.1 Misisti mihi tot, Severe, turdos,  
2 Jani scilicet ad novas Calendas,  
3 quot post primam habuit misella tussim  
4 dentes Aelia ; quot Ligia crines,  
5 unum si tamen auferas et illis.  
6 Tot grates igitur tibi remitto,  
7 quot stellas oculos habebat Argus,  
8 quot centumgemini manus Gigantes,  
9 quae si forte satis, Severe, non sunt,  
10 sint nasos quot habet meus Philemon.

## QUANDO PRIMUM ROMAE MUSIS SIT HONOR HABITUS.

E1\_76 v.1 Cum sola antiqui tractarent bella Quirites,  
2 Aonidum studiis non erat ullus honos.  
3 Nec nisi quas nuper contexerat aerea cassis,  
4 postmodo cingebant laurea sarta comas.  
5 Mox ubi paullatim fratris surrepsit in urbem  
6 Delius, et fluxit Castalis in Tiberim ;  
7 dulcisona invictam vicerunt carmina gentem,  
8 nec lituo coepit vilior esse chelys.  
9 Tunc et Liviadis applausit Roma cothurnis,  
10 festivos Plauti risit et illa sales.  
11 At postquam magno, per somnia plenus, Homero  
12 Ennius, Herois condidit arma modis ;  
13 huic eques, huic mixta plaudebat plebe senatus,  
14 nec non belligeri, nomina clara, duces.  
15 Sed sacrum in primis coleret cum Scipio vatem,  
16 vatis ut ipse sacri maxima cura fuit.  
17 Praecipue Libycos nam rettulit ille triumphos,  
18 detractum et Latiis arcibus Hannibalem.



19 Nec minus Hispanas acies, et foedere iniquo  
20 contentum Tauri finibus Antiochum.

## AD RECTOREM.

E1\_77 v.1 Accipe magnifici clarum Rectoris honorem,  
2 accipe purpureae, pallia rubra, togae.  
3 Festa sit in fastis, et semper maxima, qua tu  
4 luce magistratum Gymnasiarchus inis.

## SE IPSE COMMENDAT.

E1\_78 v.1 Si mihi sit quisquam, quod erat tibi, Fulvius, Enni,  
2 aut qui perjurum contudit Hannibalem ;  
3 bellator molli vel erat Messala Tibullo,  
4 quod Flacco Tuscis regibus ortus eques ;  
5 huic ego sim contra, quod erat tibi maxime Caesar,  
6 qui silvas et agros dixit et arma virum.  
7 Aut hoc si nequeam, Stilichoni quod fuit olim,  
8 qui cecinit raptus, Persephonea, tuos.  
9 Si sit et hoc nimium, saltem tamen hoc tibi fiam,  
10 quod fieri hoc aevo vix duo tresve queunt.

## DE MARCELLO VENETO.

E1\_79 v.1 Hoc mihi Marcellus, sacri quod vatibus aevi,  
2 Pollio, Maecenas, et Proculeius erant.  
3 Hoc ego Marcello, quod Xerxi Choerilus olim,  
4 quod tibi nescio quis, perfide Sylla, fuit.  
5 Hoc modicum est, inquis ; nihilo tamen esse videtur  
6 majus, nam nihilo quid minus esse potest ?

## AD FRANCISCUM ARETINUM.

E1\_80 v.1 Francisce, interpret legum, Aretine, sacrarum,  
2 nec minus Aonia nobilis in cithara ;  
3 justitiae mensura tibi servatur in omnes,  
4 in solo nostri est nullus amore modus.  
5 Nam me plus multo laudas, miraris, honoras,  
6 quam mea quod virtus ingeniumve capit.  
7 Quare tu plus quam mereor, mihi ne, rogo, praestes,  
8 at tibi dent faciles, quanta merere, Dei.

## DE EPISCOPO MUTINENSI.

E1\_81 v.1 Aonios nullo vates nunc esse querebar  
2 in pretio, et nostri temporis hostis eram ;  
3 cum mea respexit Mutinensis carmina praesul,  
4 coepit et ingenio mitis adesse meo.  
5 Sic inopem, nec adhuc notum tibi Roma Maronem,  
6 Tyrrhenus, placida mente, refovit eques.

7 Pergite Pierides, vestris me inducere lucis,  
8 nunc mihi molle jugum, nunc mihi plana via est.

AD EUMDEM EPISCOPUM.

E1\_82 v.1 Unde mihi hoc, quod me sic diligis, optime praesul ?  
2 Nempe tua id solum de pietate venit.  
3 Nil ego promerui, tibi quippe alienus, et antehac  
4 ignotus ; tu me vis tamen esse tuum.  
5 Tu legis et laudas, tu carmina nostra tueris,  
6 tu patrio externum solus amore foves.  
7 Nec satis est quod me ipse pia complectere cura,  
8 ut veniam tota clarus in urbe, facis.  
9 Nec dubitas sacri mihi conciliare favorem  
10 Principis, et per te, nos Leonellus amat.  
11 Vir bonus est, meritis qui scilicet aequa rependit,  
12 omnia qui dat ubi nil merui, Deus est.

IN PETRUM.

E1\_83 v.1 Tu, qui Fabricius foris es, sed Apicius intus,  
2 parcius in nugas quaeso vehare meas.  
3 Qualia verba tibi, tales, Petre, sunt mihi mores,  
4 quomodo tu vivis, sic ego, Petre, loquor.

IN CRUDELEM PRAETOREM.

E1\_84 v.1 Quis Sylla hoc sanxit ? Dudum reus in cruce pendet,  
2 praetor nunc demum triste tribunal adit !  
3 Nunc demum miseri causam cognoscit inanem !  
4 Quid prodest si jam pareat innocuus ?  
5 O Theta infandum ! Jura o praepostera dirae  
6 legis, et Arctoi, moribus apta poli !

AD GRATIANUM.

E1\_85 v.1 Fregisti mihi sinciput misellum,  
2 dum mecum male, Gratiane, ludis,  
3 ac fortis nimium cupis videri.  
4 Nunc laesum miseraris, et cruentam  
5 plagam, tutemet alligare tentas,  
6 errorem petis et tibi remitti.  
7 Sed tristes remove procul medelas,  
8 non, caeso veluti prius catello,  
9 collum postmodo mulceas et aures.  
10 Tangi carnificis manu recuso.  
11 Non sum Telephus, ut lever per hostem,  
12 nolo sis mihi, Gratiane, Achilles.

## IN GRILLUM.

E1\_86 v.1 Nec bene, nec vere cum scribas, Grylle, vocari  
2 non bene, sed vere pseudopoeta potes.

## AD PAULUM.

E1\_87 v.1 Litera prima tui si nominis adspiretur,  
2 verum, Paule, tibi demum ita nomen erit.

## AD PHILELFUM.

E1\_88 v.1 Tu scribis Graio, scribis sermone Latino,  
2 at tibi nos contra, barbara dicta damus.  
3 Tempus erat cum me Musarum plectra tenebant,  
4 dulcis et Aonio potus ab amne liquor.  
5 Nunc Marti miles, non Phoebos servio vates,  
6 obstrepit et molli buccina rauca lyrae.

## DE ARQUADA.

E1\_89 v.1 Arquada Euganeos inter celeberrima pagos,  
2 quondam Antenorei quos tenuere Phryges ;  
3 quamvis pulchra situ, quamvis sis ubere felix,  
4 nec tua morbiferum noverit aura canem ;  
5 inde tamen longe major tibi gloria surgit,  
6 vatis Petrarcae sancta quod ossa foves.

## IN CARBONEM POETAM.

E1\_90 v.1 Orator simul et poeta Carbo est,  
2 non est hoc aliud profecto, quam si  
3 mas et semina Carbo diceretur.  
4 Sic plane Hermaphroditus ergo Carbo est.

## AD CARBONEM POETAM.

E1\_91 v.1 Qui nunc es Carbo, nempe olim pruna fuisti,  
2 pone animos, fies mox, Ludovice, cinis.

## AD PAULUM.

E1\_92 v.1 Paule, superjecta quae portem veste, requiris ?  
2 Si te scire velim, non ea, Paule, tegam.

## DE NASO HARILLI.

E1\_93 v.1 In caput exiguo, crevit breve corpus, Othoni,

2 at caput in nasum crevit, Harille, tibi.

IN ANELLUM.

E1\_94 v.1 Donec, Anelle, tibi solus portabat asellus  
 2 flava volubilibus farra terenda molis,  
 3 numquam justa domum misero mensura redibat,  
 4 aut erat externo semine mixta Ceres.  
 5 Hoc et Praetori longo narrare libello,  
 6 vicino et memini te mihi saepe queri.  
 7 Sed nunc egregiam vafer invenisse videris  
 8 qua caveas posthac talia damna viam.  
 9 Nam custos conjux, molitoris furta dolosi  
 10 servat, et ad saccum pulverulenta sedet.  
 11 O quam salsus homo es ! Cui credere granula centum  
 12 non potes uxorem credere, Anelle, potes ?

COMMENDAT VERONAE SUUM LIBELLUM.

E1\_95 v.1 Commendo, Verona, tibi, quem nostra libellum  
 2 Guarino lusit Calliopea tuo.  
 3 Materiae debetur honos, si carmina temnis,  
 4 quae sonat hunc, abs te pagina digna legi est.  
 5 Romulidis placuit, quamvis rudis Ennius esset,  
 6 Scipiadae magni dum fera bella canit.

IN GRAECIAM.

E1\_96 v.1 Improba deleta, gavisata est Graecia, Troja,  
 2 postmodo sed dominos pertulit Aeneadas.

DE ROMA.

E1\_97 v.1 Non secus e Phrygiis surrexit Roma ruinis,  
 2 quam de relliquiis, ales Eoa, suis,  
 3 sed Phoenice tamen melius jacet Ilia tellus,  
 4 majorem cinis hic rettulit, ille parem.

VERIS PROGNOSTICON.

E1\_98 v.1 Texit ut e virgis arguta ciconia nidos,  
 2 hibernum vel quae temperat aequor avis.

AD LAURENTIUM.

E1\_99 v.1 Quod mea, Laurenti, placide munuscula sumis,  
 2 quam si tu tribuas, plus, mihi crede, facis.  
 3 Donator det magna licet ; majora rependit  
 4 qui devinciri se sinit officio,

## DE POMPEIO MAGNO. E GRAECO.

E1\_100 v.1 Magnus, magnorum modo maximus ille Quiritum,  
2 nuper habens aras, nunc caret et tumulo,

## AD LUDOVICUM.

E1\_101 v.1 Mutua cum reddam, simul ipsum me tibi dedam,  
2 adspice quam praestem plus, Ludovice, tibi.

## DE POMPEIO MAGNO. E GRAECO.

E1\_102 v.1 Quod nuper Magni, quod erat simul orbis et urbis,  
2 obtulit ut socero perfida dextra caput ;  
3 ingemuit Caesar ; sed nec Fortuna videndo  
4 laeta fuit, quamvis Caesariana foret.

## DE SE IPSO.

E1\_103 v.1 Qualiter o crucior ! Certe modo cunnus adesset,  
2 possem ter quinas continuare vices.

## DE AMICA SUA.

E1\_104 v.1 Certe ego vel Proculo, si sim futuentior ipso,  
2 luxuriae possim non satis esse tuae.

## DE LAELIA.

E1\_105 v.1 Laelia, quid nostram, toties petis, improba, linguam ?  
2 Si juvat, hoc totum, vipera, sorbe caput.

## AD LAELIAM.

E1\_106 v.1 Tam coeunt artis gemini complexibus angues,  
2 ut duplex uni quis putet esse caput.  
3 Ast ego sic jungi cupio, mea Laelia, tecum,  
4 ut mihi diversum nec caput esse velim.

## DE SE IPSO.

E1\_107 v.1 Sextus hic et decimus vitae mihi degitur annus,  
2 narravit nato si modo vera, parens.  
3 Septimus incipiet Septembres ante Calendas,  
4 si modo producant, tres mihi fila Deae.

## DE SE IPSO, CUM VIRGINITATEM AMISISSET.

E1\_108 v.1 Virginitas valeas ; hodie mihi forpice crinem  
2 tondeo, et abjectis, sumo togam, nucibus.

## DE THEODORO GAZA.

E1\_109 v.1 Nobile linguarum decus, o Theodore, duarum,  
2 inclyta quem nobis Thessalonica dedit.  
3 [LACUNE]  
4 [LACUNE]

## IN NICOLUM.

E1\_110 v.1 Tam doctus quare nil profert Nicolus umquam ?  
2 Jungere tam doctus nec duo verba potest.

## DE DOCTO SIMULATO.

E1\_111 v.1 Hic, qui numquam orat, nil scribit ; doctus habetur.  
2 Sunt quibus immerito fama venire solet.

## DE AURISPA.

E1\_112 v.1 Tam doctus scribat cur nil Aurispa, requiris ?  
2 Credatur multo doctus ut esse magis.

## DE GUARINO.

E1\_113 v.1 Guarinum meritis parem Camillo,  
2 quis non censeat ? Ambo reddiderunt,  
3 is regnum Latio, sed iste linguam.

## DE PORCIA.

E1\_114 v.1 Sic ait, ardentes haurit dum Porcia prunas ;  
2 vos, venerande parens, care marite, sequor.

## IN ANTONIUM HOSPITEM.

E1\_115 v.1 Cum me minori fors locarat in gradu,  
2 conviva, memini, non semel fui tuus.  
3 Nec par fuisset denegare me pari.  
4 Sed clericum tunc, non vocasti Antistitem.  
5 Nolo superbum me putes, veni libens.  
6 Papae ! Rotata cocta rapa testula,  
7 quam belle acernis afferuntur alveis !  
8 Hanc sibi parabat Curius ipse cenulam.

9 Ergastulis hoc convenit convivium.  
 10 Quid hoc rubelli est ? Tolle funestam picem,  
 11 lanae hoc laventur, aut equorum colei.  
 12 At jam secunda mensa, sublatis adest  
 13 fictilibus, uvae rancidae et fici putres.  
 14 Quid hoc amabo ? Nilne ponis amplius ?  
 15 Vale, ut mereris, hospes Antoni, vale !  
 16 Tam non putabam familiarem me tibi.

## AD RUFUM.

E1\_116 v.1 Scripta quod et ludunt et amant mea, Rufe, modestis  
 2 illa placere negas ? Pluribus ergo placent.

## IN BERTUM.

E1\_117 v.1 Tollis femellas, occidis, Berte, puellos,  
 2 ne durum tandem, prospice, Abaddir edas.

## AD RULLUM.

E1\_118 v.1 Cum tibi mas paritur, laetus convivia ponis,  
 2 femina si fuerit nata, perire jubes.  
 3 Rulle, puerperio tua jam Faustina propinquat,  
 4 tempus et a medico poscere mandragoras.  
 5 Lesbia jam pariter, pariter Lucina vocatur,  
 6 at tibi sollicito pendula vota tremunt.  
 7 En ! parit, et vulva primum caput exit aperta ;  
 8 quicquid id est, vivat, forsitan Iphis erit.

## DE URSO CINAEDO.

E1\_119 v.1 Nemo est Etrusco juvenum lascivior Urso,  
 2 possedit mollem, tanta libido virum.  
 3 Lascivam aestiva nactus qui nocte puellam,  
 4 nil putat esse, vices continuare novem.  
 5 Idem septenos discidit ut inguine culos,  
 6 quae fecit maribus, sustinet ipse libens.  
 7 Ergo, vera licet nobis si dicere ; non est,  
 8 non est hic Ursus, Rufe ; quid ergo ? Lepus.

## IN LEONEM CINAEDUM.

E1\_120 v.1 Nunc facit id quod vir, nunc id quod femina debet,  
 2 parte tamen patitur posteriore, Leo.  
 3 Hunc ego Tiresiam, vel Caenea dicere possum,  
 4 ni melius dici posset, Hyaena, Leo.

## DE SIGNO AMPHITRYONIS.

E1\_121 v.1 Phoebus quadrijugo surgit cum lampade curru,  
2 bellantis signum hoc Amphitryonis erat.

## AD LECTOREM.

E1\_122 v.1 Parco tibi, parco vobis jam, candide Lector,  
2 finis adest ; primum sit leve semper onus.

## IN PROSPERUM.

E1\_123 v.1 Non bona me jactas epigrammata fingere, Prosper ;  
2 verum est, confiteor ; tu meliora facis.

## AD RUFUM.

E1\_124 v.1 De brevitatem mei miraris, Rufe, libelli ;  
2 qui malus est, adeo qui brevis esse potest ?

## IN PHILITICUM.

E1\_125 v.1 Ne nimium tumeas, Philitice, novimus omnes,  
2 qua tibi sit geminus nobilitate parens.  
3 Altera nam cubito nares emungit, at alter  
4 non sput in terram sit nisi festa dies.

## AD GRILLUM.

E1\_126 v.1 Mordes, et patria pastum me dicis ab ursae,  
2 tam durus videor, tam tibi, Grylle, ferox.  
3 Pannonis ursae dedit lac nobis, Grylle, fatemur,  
4 at non ursae tibi, sed lupa, Grylle, dedit.

## AD GUARINUM.

E1\_127 v.1 Perlegeres nostrum cum forte, Guarine, libellum,  
2 dixisti : (ut perhibent) haec ego non doceo.  
3 Non haec tu, venerande, doces, Guarine, fatemur,  
4 sed quibus haec fiunt, illa, Guarine, doces.

## IN BLASIIUM PUMILIONEM.

E1\_128 v.1 Pumilio Blasi, cum te mirantia spectant  
2 lumina, succendit protinus ira jecur.  
3 Esse pudet si te nanum, fuge solis ad ortus,  
4 inter Pygmaeos vel Polyphemus eris.  
5 Illic sublimis solio veneratus in alto,  
6 gentibus exquis jura severa dabis.



7 Illic tota tuo pugnabunt agmina ductu,  
 8 advena cum pacis foedera rumpet avis.  
 9 Sed tibi terga tument putri deformia gibbo,  
 10 surgit et e medio pectore turpe caput.  
 11 Amplius hoc, fateor, nos te ridemus, at illis  
 12 majorem incutiet tam nova forma metum.  
 13 Unde tamen subiti, tanta inclementia, morbi ?  
 14 An nihil est quod non improba fata petant ?  
 15 Certe sospes eras, certe conviva sedebas  
 16 nobiscum ad festas, nuper et ipse, dapes.  
 17 Mortuus ecce jaces, nec adhuc te fabula vulgi,  
 18 distulit in maesto decubuisse toro.  
 19 Terra tibi reliquos quantumlibet ingravet artus,  
 20 sit tantum gibbo non onerosa tuo.

IN DIONYSIUM.

E1\_129 v.1 Perpetuis totus, Dionysi, sordibus horres,  
 2 hoc vera dignum relligione putas.  
 3 Nimirum porco non esset sanctior ullus,  
 4 si faceret quemquam sordida vita probum.

DE IMMUTATIONE SUI NOMINIS.

E1\_130 v.1 Joannes fueram, Janum quem pagina dicit,  
 2 admonitum ne te, lector amice, neges.  
 3 Non ego per fastum sprevi tam nobile nomen,  
 4 quo nullum toto clarius orbe sonat.  
 5 Compulit invitum mutare vocabula, cum me  
 6 lavit in Aonio flava Thalia lacu.

AD PAULUM.

E1\_131 v.1 Occurris quoties, toties me, Paule, salutas,  
 2 ut resaluteris scilicet, ista facis.  
 3 Quindecies una, si fias obvius, hora,  
 4 consuetum repetis sedulus officium.  
 5 Si quando in summa scribo meditorve fenestra,  
 6 clamatum e platea semper avere jubes.  
 7 Sic vaga sollicitae pereunt meditamina mentis,  
 8 avolat et cerebro, pulsa Thalia, meo.  
 9 Ni fallor digitis, hodie centesima nobis  
 10 a te dicta modo est, et puto, quinta salus.  
 11 At nobis esset vitam satis una per omnem,  
 12 ut superent Pylios tempora nostra dies.  
 13 Dum queror, ecce iterum misero fers, Paule, salutem,  
 14 o quam te longe, Paule, valere velim !  
 15 Parce, precor, tenero capiti, et crudelia differ  
 16 taedia ; sic semper sit tibi, Paule, salus.  
 17 Quodsi forte placet numero certare salutis,  
 18 more potes vulgi dicere, mille, semel.

## AD MARCUM.

E1\_132 v.1 Scriptum in te dicis tetrastichon esse ; negamus.  
 2 Nomine teste probas ; nomine teste nego.  
 3 "Marcus, ais, ego sum." Vivunt hoc nomine multi.  
 4 An, rogo, tu phoenix esse videre tibi ?  
 5 Daunia quot mulos, Nonacria pascit asellos,  
 6 tot passim Marcos degere, Marce, puta.

## AD BARTHOLOMAEUM.

E1\_133 v.1 In te nos quereris fecisse epigramma ; fatemur.  
 2 Quae ratio est ? inquis, nulla nisi libuit.  
 3 Sed delere jubes. Nemo est insanior ; et quem  
 4 vidisti natos tu jugulare suos ?  
 5 Non aliter nobis fore te promittis amicum ;  
 6 nil est quod metuum, Bartholomaeae, minus.  
 7 Abscedens digitum mordes, et saeva minaris ;  
 8 quod scripsi, scripsi ; quidlibet i facias.

## DE LAURENTIO VALLA.

E1\_134 v.1 Saecula tot cervus, tot vivit saecula cornix ;  
 2 Valla obit ante diem ; quis putet esse Deos ?

## EPITAPHIUM THADDAEAE.

E1\_135 v.1 Hic tumulata jacet magni Thaddaea Guarini,  
 2 sero secuturum laeta praeisse virum.  
 3 Nullum se tanto jactabit nomine marmor,  
 4 artibus haec vicit Pallada, prole Rheam.

## EPITAPHIUM GUARINI.

E1\_136 v.1 Calliope, Clio, Polyhymnia, flete : Guarinus  
 2 ecce jacet, vestri gloria, vester honos.  
 3 Occiderit licet ille senex, absolvere nemo  
 4 fata potest, semper vivere dignus erat.

## EPITAPHIUM VALERII MARCELLI.

E1\_137 v.1 Improba ni tenerum, Valeri, te fata tulissent,  
 2 esses Marcellae fama secunda domus.  
 3 Tecum spes Venetum, tecum solacia matris,  
 4 tecum deliciae disperiere patris.  
 5 Si probitas, si forma Deos si lingua moveret,  
 6 Nestoris aetatem vivere dignus eras.  
 7 Mota erat his Clotho, Lachesis non ipsa negabat,  
 8 tertia sed rupit stamina, pulla soror.

## AD GALEOTTUM.

E1\_138 v.1 Et poma, et crudas, sumam securior, uvas ;  
2 qui medicum mittis, tu Galeotte, facis.

## AD EUMDEM.

E1\_139 v.1 Tu nunc in patria laetum me vivere credis,  
2 cum tamen in dubio sit mihi vita loco.  
3 Nunc fluidus laxa procumbit sanguis ab alvo,  
4 nunc saevit rapida tertia febre dies.  
5 Si natalis humus nobis tam triste parabat  
6 hospitium, melius, non rediisse, fuit.  
7 Quodsi te incolumem Superi, Galeotte, reservant,  
8 dimidia videor parte valere mei.

## AD POLYCARPUM.

E1\_140 v.1 Gratulor a terra salvum rediisse Latina,  
2 Numina nec votis surda fuisse tuis.  
3 Gratius hoc fiet, si nos, Polycarpe, revisas,  
4 ni post tam longum, tam breve taedet iter.  
5 Quando ego te tota suspensus luce tenebo,  
6 narrantem vastae dura pericla viae ?  
7 Quis status Ausoniae, quae sint ibi tempora rerum,  
8 quas urbes, quales videris ipse viros.  
9 Quodsi non fallit cupidam spes irrita mentem,  
10 tota, tuo nobis pectore, Roma, venit.

## DE LUCIA.

E1\_141 v.1 Cum sese nobis gruxfoebn Mxdkb praebet, (censure ? ou aurocensure ?)  
2 dum fero sublatos, be nfb dpmb qfeft,  
3 terribilem foedo misit de qpekdf cpncxn,  
4 qualiter aestiva fulmina nube crepant.  
5 Territus avertor, digitis simul obstruo nasum,  
6 xsob sfufoub cadit, cogit abire pudor.  
7 Mxdkb, nulla tuo, contingent gaudia, dxoop,  
8 tam male moratus, si tibi dxmxt erit.

## AD ANTONIUM.

E1\_142 v.1 Vitrea quae nuper mittebas pocula nobis,  
2 Antoni, media rupta fuere via.  
3 Nos tamen haud alias agimus, carissime, grates,  
4 integra quam nobis si tua dona forent.  
5 Peccat, ab eventu mentem qui pensat amici,  
6 semper in officiis est voluisse satis.

## AD EUMDEM.

E1\_143 v.1 Perfusam rutilo pateram tibi mittimus auro,  
 2 adspice quam praestent munera nostra tuis !  
 3 Ex hac materia vellem tua vasa fuissent,  
 4 fracta licet quererer, non tamen abnuerem.  
 5 At tu non ullis, obnoxia dona, ruinis,  
 6 exemplo, Antoni, mittere disce meo.

## CUR AETATEM EXUANT SERPENTES, CUM SENIO INTEREANT HOMINES. EX NICANDRO.

E1\_144 v.1 Ab Jove perpetuam mortalis turba juventam  
 2 cum peteret, vanas audiit ille preces.  
 3 Impositum tardo referebat munus asello,  
 4 ad liquidas sitiens flexit asellus aquas.  
 5 "Non, ait, inde bibes, servator gurgitis hydrus,  
 6 quae portas dorso, ni mihi dona dabis."  
 7 Jumentum imprudens, lymphis heu ! Vilibus illud  
 8 nobilius sacro nectare, vendit onus.  
 9 Ex illo, posita juvenescunt pelle colubri,  
 10 conficit humanum. Dura senecta, genus.

## IN PHILIPPUM.

E1\_145 v.1 Esse meum mihi te, dicebas saepe Philippum.  
 2 At tu, jam video, Pseudophilippus eras.

## AD LINUM.

E1\_146 v.1 Posse domi fieri sapientem te, Line, credis,  
 2 unum cuncta aetas "metrodidakton" habet.

## DE SILVIA.

E1\_147 v.1 "Ex te concipio", meretrix mihi, Silvia, dicis,  
 2 Silvia, non magis hoc dicere, crede, potes ;  
 3 quam si per spivas incedens, Silvia, densas,  
 4 dixeris : ista meum laesit iniqua pedem.

## AD PROSPERUM.

E1\_148 v.1 Quod rudis, ingenio talem me, terra creavit,  
 2 miraris Tusci, Prosper alumne, poli.  
 3 Possunt et stulti sub utrolibet aere nasci,  
 4 possunt et quorum fervida corda micant.  
 5 Democriti pectus pecorosa Abdera tulerunt,  
 6 crassa dedit tenuem Mantua Vergilium.  
 7 Tu tamen exemplis dubitas si credere priscis,  
 8 nos ambo, quales simus, et unde, vide.

## DE XERXE ET TITO. E GRAECO, ANTHOL. LI CAP. 5.

E1\_149 v.1 Duxerat et Xerxes Medos in Achaida terram,  
 2 duxit et Ausonidum belliger arma Titus ;  
 3 ille sed Inachides missurus sub juga venit ;  
 4 hic tibi dempturus, Graecia, triste jugum.

## DE TROJA EVERSA ET ROMA IMPERANTE. E GRAECO ANTH. LI CAP. 70.

E1\_150 v.1 Cum gravis Herceas Priamus procumbit ad aras,  
 2 "Summus, ait Lachesis, sit cruor iste Phrygum."  
 3 Nam procul, Ausonios portus, Aeneia classis  
 4 jam subit, aeternae principium patriae.  
 5 Quam bene, Troja, jaces, de cujus tanta ruinis  
 6 Urbs oritur, mundi quae tenet imperium.

## DE ACHILLE. E GRAECO, ANTH. L. I. CAP.70.

E1\_151 v.1 Rector bellipotens, sub terris sicubi sentis,  
 2 salve, et pro patria, quaeso, resurge parum ;  
 3 civibus innumeris en ! Pergama sacra coluntur,  
 4 haud tibimet paribus, sed tamen egregiis,  
 5 Thessalia at nulla est ; accede, et dicito Achilli,  
 6 legibus Aeneadum Thessala regna premi.

## COMPARATIO TROJAE ET PHOENICIS EXUSTI.

E1\_152 v.1 Non secus e Phrygiis surrexit Roma ruinis,  
 2 morte sua Phoebi quam reparatur avis.  
 3 Nam simul ac fessam solvit longaeva senectus,  
 4 rursum e relliquiis nascitur illa suis.  
 5 Sed Phoenice tamen melius jacet Ilia tellus,  
 6 majorem cinis hic reddidit, ille parem.

## DE SUPERBIA XERXIS. E GRAECO.

E1\_153 v.1 Per freta dum pedibus, per summa cacumina remis  
 2 Eoum Xerxes improbus agmen agit ;  
 3 confusas rerum leges Natura gemebat,  
 4 cum dedit hos sacro Jupiter ore sonos :  
 5 "Pone metus, aliter quam nunc venit, iste redibit,  
 6 pensabit Salamis dedecus omne tuum."

## DE NASO CYRI ET GRYLLI.

E1\_154 v.1 Cyrus erat Persis naso gratissimus unco ;  
 2 invisus tota est Gryllus in Ausonia.

## VERBA ANDROMEDAE, PUGNANTE ADVERSUS CETUM PERSEO.

E1\_155 v.1 Me miseram ! quae triste manet fortuna duellum ?  
 2 Cur mea nunc gravius quam modo corda pavent ?  
 3 Haerebam duris, fateor, minus anxia saxis,  
 4 propugnator adhuc cum mihi nullus erat.  
 5 Ipsis cum vinclis utinam fera monstra vorassent,  
 6 me prius, huc volucrem, quam tulit iste, gradum !  
 7 Indefensa quidem, sed certe sola perissem,  
 8 nec noster cuiquam letifer esset amor.  
 9 Nunc timeo pereat ne insons, servare nocentem  
 10 dum studet, et pietas sit sibi causa necis.  
 11 Quid tibi nobiscum pulcherrime ? Non ego mater,  
 12 non ego sum conjux, non tua cara soror ;  
 13 ut tanto nostram quaeras discrimine vitam,  
 14 impulsus non vi, non prece, non pretio.  
 15 Vel forsā nostrae movit te gratia formae.  
 16 Haud ego sum tanti nec genus omne meum.  
 17 Me fatis permitte meis, tu sospes abito,  
 18 quae secet aerias est tibi penna vias.  
 19 Dum loquor e mediis ter se ardua sustulit undis  
 20 bellua, ter fuso contigit astra salo.  
 21 Heu ! quam vix diros fugit celer ales hiatus,  
 22 quam paene occasus occidit ante meos.  
 23 Dii, si quos lingua genitrix non laesit iniqua,  
 24 hoc vos jam solum vivat ut ille rogo.

## IN GRYLLUM.

E1\_156 v.1 Cum tu, Grylle, sonas, reticent per tesqua cicadae,  
 2 malo sonent illae, dummodo tu taceas.

## AD NUMOS. EX GRAECO, ANTHOL. L.I. C.66.

E1\_157 v.1 Palponum patres, curarum pignora, numi,  
 2 vos habuisse, timor ; non habuisse dolor.

## E1\_158 E GRAECO. ANTHOL. L.I. CAP.13.

1 Nudus humum scandi, nudus terrae ima subibo,  
 2 quid frustra afflictor, nuda suprema videns ?

## AD MARCELLUM.

E1\_159 v.1 Quod fuit astuto pugnax Aetolus Ulixi,  
 2 quod duro Telamon Amphitryoniadi ;  
 3 quod fuit inflexo mitis Patroclus Achilli,  
 4 formoso Nisus quod celer Euryalo ;  
 5 quod fuit e Thebis profugo Calydonius exul,  
 6 Pirithoo casti quod pater Hippolyti,  
 7 quod fuit Emathius domitori Hephaestio rerum,

8           trux Epaminondae quod Pelopida suo,  
9           quod totidem Libyae victoribus unus et alter  
10          Laelius ; Augusto quod gener ipse fuit ;  
11          hoc tu magnanimo, nunc es, Marcelle, Renato,  
12          felix, qui regum dignus amore venis.

IN SPEM ET FORTUNAM. E GRAECO. ANTHOL. L.I CAP. 80.

E1\_160 v.1       Inveni portum, Spes et Fortuna valete,  
2                nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

DE AGNA QUAE PAVIT LUPUM. E GRAECO , ANTH. L.I. CAP. 30.

E1\_161 v.1       Agnae lupum pasco propriis invita mamillis,  
2                pastoris fatui sed jubet imperium.  
3                Nutritus per me, rursus, scio, saeviet in me,  
4                vertere naturam gratia nulla potest.

E GRAECO, ANTHOL. L.I. CAP. 27.

E1\_162 v.1       Tu, qui nocturnum tentas accendere lychnum,  
2                ne silicis venas quaerito, neve socos ;  
3                cor tribuet nostrum lumen tibi ; nam mea saevis  
4                flammavit facibus pectora durus amor.

E GRAECO, ANTHOL. L.I. CAP. 27.

E1\_163 v.1       Nullus, Amor, deus est, hominum sed prava voluptas,  
2                praetendit vitio Numinis arma suo.

DE CUPIDINE PHARETRATO. E GRAECO, ANTHOL. L.I. CAP. 27.

E1\_164 v.1       Ture pharetratum quidam formavit Amorem,  
2                hunc quem saepe deum sentit et ipse pater.  
3                Vulcano objicitur tandem, qui debuit olim,  
4                non nisi flammarum tabe liquefieri.

DE AMORE. E GRAECO, ANTHOL. LIB. I. CAP. 27.

E1\_165 v.1       Ad fontes quidam tornatum erexit Amorem,  
2                dum putat has unda exstinguere posse faces.

DE GRATIA. E GRAECO, ANTHOL. L. I. CAP. 30.

E1\_166 v.1       Gratia cum properat, fit dulcior ; ast ubi tardat,  
2                tota perit, nec jam nomine digna suo est.

## DE THEATRO VERONENSI.

E1\_167 v.1 Est tibi prostibulum, quod erat, Verona, theatrum ;  
2 assidue Floram nunc colit ille locus.

## DE ARBORE POMIS GRAVATA.

E1\_168 v.1 Furca levat, quam poma gravant ; sic saepe fuerunt  
2 praesidio externi, quis nocuere sui.

## DE ARTE.

E1\_169 v.1 Ars juvit nervos ; tunc perfectissima rebus  
2 summa venit, cum vis nititur ingenio.

## FRAGMENTUM EPIGRAMMATIS ALICUJUS.

E1\_170 v.1 Tu mihi per terras, nec non jurata per undas,  
2 laeva tibi pontum, dextra premebat humum.  
3 [LACUNE]

## VENUS AD PALLADEM. E GRAECO, ANTHOL. L. I. CAP. 38.

E1\_171 v.1 Tu quid me Venerem Jovis edita vertice virgo,  
2 laedis ? Et arripiens praemia nostra tumes ?  
3 Esto memor quod me, frondenti nuper in Ida,  
4 non te formosam censuit ipse Paris.  
5 Hasta tua est et parma ; meum, Tritonia, malum,  
6 sunt isti malo pristina bella satis.

## PTOLEMAEUS. E GRAECO. ANTHOL. L. I. CAP. 46.

E1\_172 v.1 Novi ego mortalem, nec me esse ignoro diurnum,  
2 at cum sidereas mente requiro vias,  
3 Non jam tellurem pedibus contingo, sed alma,  
4 cum Jove discumbens impleor ambrosia.

## DE AMORE DEO.

E1\_173 v.1 Passio non Deus est amor ; ast humana libido,  
2 praetendit vitiis, nomen inane, suis.

## AD GRYLLUM.

E1\_174 v.1 Grylle, Lycambeos alias mittemus iambos,  
2 imbelles elegi nunc tibi munus erunt.



## VERBA TROJAE AD PALLADEM. E GRAECO. ANTHOL. L. I CAP. 30.

E1\_175 v.1 Parce, precor, Pallas ; colui nam semper honores,  
 2 aureis in templis, Troja misella, tuos.  
 3 At tu me vastas, et pomi unius ob iram,  
 4 decerpis tristi moenia tota manu.  
 5 Pastor ut occideret fuerat satis ; improbus, esto,  
 6 ille fuit, patriae non ea culpa tamen.

## DE UVA.

E1\_176 v.1 Est simul et potat, qui dulci vescitur uva,  
 2 hoc tibi, sed solo, cedit, Iacche, Ceres.

## DE LAUDIBUS GUARINI.

E1\_177 v.1 Si mihi gemmato, propinet Jupiter, auro,  
 2 dulcia Dardania pocula mixta manu ;  
 3 non ego divinos malim potare liquores,  
 4 quam quod Guarini nectar ab ore fluit.

## AD LEONELLUM PRINCIPEM FERRARIAE.

E1\_178 v.1 Obtulerit sors si qua meum tibi sorte libellum,  
 2 perpetua Estensis, lux, Leonelle, domus ;  
 3 non illo hunc vultu relegas, quo jura ministras,  
 4 sed quo saepe levem, pellis et ipse pilam.

## AD EUMDEM.

E1\_179 v.1 Ludere, dive, tuos festivo carmine vates,  
 2 ne, Leonelle, veta : ludis et ipse pila.

## FRAGMENTUM EPIGRAMMATIS ALICUJUS, AD GUARINUM.

E1\_180 v.1 Dulce nec eloquium linguae, quo Nestora vincis,  
 2 nec qua praecellis Nirea, forma decens,  
 3 [LACUNE]  
 4 [LACUNE]

## AD GUARINUM.

E1\_181 v.1 Phoebum Graecia, gens Latina Faunum,  
 2 Hammonem Libye, Pharos Serapin,  
 3 consultum in dubiis, Guarine, adibant.  
 4 Te toto simul orbe confluentes  
 5 accedunt populi, tua ut beata  
 6 tingant arida corda disciplina.

## DE AMBROSIO.

E1\_182 v.1 Mentiris, Theodore, miser ; sunt Numina caelo,  
 2 nec vacat omnino regia celsa poli.  
 3 Nil sentis, Epicure ; Dei mortalia curant ;  
 4 nec frustra in terras, fulmina torta cadunt.  
 5 Numina, clamemus sunt et mortalia curant,  
 6 pendentem postquam cernimus Ambrosium.

## DE ARGYROPYLO PHILOSOPHO.

E1\_183 v.1 Jure dedit clarum tibi porta argentea nomen,  
 2 qui nitidum ad sophiam tam bene pandis iter.

## DE MORTE AMICI.

E1\_184 v.1 O numquam mihi mors odiosior ! O mihi numquam  
 2 stamina Parcarum flebiliora trium !

## AD LEONELLUM FERRARIAE PRINCIPEM.

E1\_185 v.1 Quod, Leonelle, tuam, Princeps, accessimus urbem,  
 2 Arctoi gelido nuper ab axe poli ;  
 3 da veniam, non nos rerum incllyta fama tuarum  
 4 nec domus augustis splendida tradit avis ;  
 5 nec tua praefulgens vario Ferraria cultu,  
 6 nec septemgemini brachia amoena Padi ;  
 7 non oculos, avidas huc pascere venimus aures,  
 8 quarum Guarini manat ab ore cibus.

## AD PETRUM.

E1\_186 v.1 Quid tibi, Petre, meo tulerim scitaris ab Istro ;  
 2 quod pridem e Cypro, tu mihi, Petre, tua.

## POPULOS NON PRODUCERE ELECTRUM.

E1\_187 v.1 Quid manifesta adeo canitis mendacia vates ?  
 2 Non placet id Phoebo ; verum amat ille Deus.  
 3 At vos hoc omnes uno velut ore sonatis,  
 4 populeum in ripis Eridani esse nemus,  
 5 unde fluant rutilo, simulata electra, metallo,  
 6 migret et in gemmam, quae modo gutta fuit.  
 7 En Padus ! Heliadum famosa en silva sororum !  
 8 Dicite, si pudor est, succina vestra ubi sunt ?

## IN CRESSAM.

E1\_188 v.1 Lacte tuum nutris caprino, Cressa, puellum,  
 2 numquid vis alium tollere, Cressa, Jovem ?

## IN CAROLUM.

E1\_189 v.1 Carole, me laudas, verum mea carmina culpas,  
 2 praecipis et saltem tectius illa loqui.  
 3 Parebo monitis et flammea versibus addam ;  
 4 insit visceribus, menta pusilla, tuis.

## IN GRYLLOM.

E1\_190 v.1 Grylle, Lycambeos vacui mittemus iambos,  
 2 hoc breve sufficiat nunc epigramma tibi.

## AD LUPUM.

E1\_191 v.1 Vel metuunt vel amant, qui te, Lupe, non bene norunt ;  
 2 ast ego qui novi, nec metuo, nec amo.

## DE VITAE MUTATIONE.

E1\_192 v.1 Sat cuivis semel est habitum mutare priorem ;  
 2 felices ! Quibus id contigit in melius.

## DE QUODAM JACTABUNDO.

E1\_193 v.1 Est quidam nostri qui se vocat archipoetam  
 2 temporis ; en titulum, Bartholomaeae, novum !  
 3 Sed cum nunc fatui sint mille, poeta nec unus,  
 4 hos inter primum se, reor, ille vocat.

## DE SE IPSE.

E1\_194 v.1 Confiteor, veteres, ingentia nomina, vates,  
 2 vestra prius mihi sors invidiosa fuit,  
 3 quod vos et rerum delectu, et voce diserta  
 4 praestantes, nemo posset adire novus.  
 5 At nunc ex aequo divisa est gloria nobis :  
 6 vinco materia, vincitis eloquio,

## AD PERINUM.

E1\_195 v.1 De te, nos (tamen innocente) dicis,  
 2 incassum mala multa suspicari.  
 3 Recte id sorte putas, Perine, verum  
 4 culpa non vocat ille, qui meretur  
 5 (insons sit licet) esse sons putari.

## IN INCONSTANTEM.

E1\_196 v.1 Fortunae non hac tantum ratione videris  
 2 filius, assidue quod favet illa tibi ;  
 3 sed quod proposito, nec tu persistis, in uno,  
 4 evehis et pravos pellis ad ima probos.  
 5 Quid precer ergo tibi ? Nisi quod tua, pessime, mater  
 6 in te etiam solitis moribus esse velit.

## DE AVE, QUAE, CAPITE LICET ABSCISSO, ADHUC VOLABAT.

E1\_197 v.1 Quis credat ? Bifido sagitta ferro  
 2 currenti caput abscidit volucris,  
 3 desit currere non tamen volucris,  
 4 dum deesset caput. Unde vis peremptae  
 5 cum sic curreret, unde mors eunti ?  
 6 An pars mortua, pars erat superstes ?  
 7 Nec, quamvis posito procul cerebro,  
 8 cor disperdiderat suum vigorem ?  
 9 An casus levis hoc repente lusit,  
 10 dum vivae tenor ille motionis  
 11 nec jam frigida membra derelinquit ?  
 12 An dum, mors subito vocata, tardat,  
 13 lentus substitit, et morae vocantis  
 14 momentum breve sensus occupavit ?  
 15 An quoddam medium locare tempus,  
 16 vitam inter licet et necem supremam ?  
 17 Quod neutrum magis altero putari,  
 18 confusis pariter queat duobus ?  
 19 Ceu confinia noctium et dierum,  
 20 nec lux, nec tenebrae solent vocari,  
 21 sed mixtum et dubium tenere nomen.  
 22 Verum quae potius fuere causae,  
 23 vos inquirete, quos fatigat ingens  
 24 naturae labor et profunda rerum,  
 25 me facti satis est venire testem.  
 26 At tu Graecia fabulosa, profer,  
 27 si quid tale tui tulere agones,  
 28 quos Pytho, Nemeae, Isthmos, Elis egit.  
 29 Dic centum celebrata Roma ludis,  
 30 viderunt tua si theatra quando  
 31 truncum vivere, mortuum moveri.

## IN MENDACEM.

E1\_198 v.1 Cum tua non ullus de te mendacia credat,  
 2 mentiris soli, scilicet ipse, tibi.

## IN EUMDEM.

E1\_199 v.1 Te non nos fallis, cum nos ea credere credis,  
 2 credere tute, alio quae referente, neges.  
 3 Desine mentiri, jam desine dicere, demens,

4            quae vix crediderit morio Musicius.

IN FUREM VIRGILIANUM.

E1\_200 v.1       Excusas sic te, cum quid furare Maroni,  
           2            subripuit Chio quod Maro multa seni.  
           3       Excusatus eris, quin et laudabere vates,  
           4            si modo surripias, ut Maro surripuit.

IN EUMDEM.

E1\_201 v.1       Non te ex Virgilio, sed magno dicis Homero  
           2            furari, furtum quando poeta facis.  
           3       Sed cum furaris jam praefurata Maroni,  
           4            furari ex ipso, te puto, Virgilio.  
           5       At male cum vati, simul huic furaris et illi,  
           6            quid, nisi jure malam, stulte, merere crucem ?

IN FUREM SUORUM CARMINUM.

E1\_202 v.1       Quod, Valline, tui tot habent mea carmina libri,  
           2            vis imitatorem te rear esse meum.  
           3       Totos saepe locos, verbum transcribis ad unum,  
           4            materia est mecum saepius una tibi.  
           5       Non imitari hoc est, laus id, non culpa fuisset,  
           6            hoc est pro scriptis edere nostra tuis.

AD LIBERAM.

E1\_203 v.1       Cum volo, tu non vis ; cum nolo, Libera, tu vis ;  
           2            quando igitur sumes, Libera, quando dabis ?

AD AMICAM.

E1\_204 v.1       Hei mihi ! tam tarde congressi, tam cito quare  
           2            digredimur ? Nec fas longius esse simul ?  
           3       Hos ego complexus tunc vellem, vita, resolvi,  
           4            quercubus implexae cum caderent hederæ.  
           5       Haec ego tum cuperem disjungi basia, quando  
           6            desereret concham, lubrica concha, suam.  
           7       Consertos utinam Veneris sic vincla catenent,  
           8            haeret ut implicito cum cane nexa canis !

IN BASINUM.

E1\_205 v.1       Cum sis Basinus, cur esse Basinius optas ?  
           2            Aptius ut fiat, litera prima cadat.

## IN LUCIAM.

E1\_206 v.1 Immerito plane succenses, Lucia, nobis,  
 2 prodita sit tamquam res tua voce mea.  
 3 Proditata voce mea non est ; unde ergo loquuntur  
 4 vicini ? Et tota rursus in urbe sonat ?  
 5 An, rogo, tu quemquam tam surdum existere credis,  
 6 Qui non balistas audiat et tonitrus ?

## IN EAMDEM.

E1\_207 v.1 Lucia, vis futui ; faciam, sed lege sub illa  
 2 ut teneas culi murmura foeda tui.  
 3 Spondes ; non equidem credo, nisi pignora ponas ;  
 4 sed nec sic credit mentula nostra tamen.

## DE SUA AETATE.

E1\_208 v.1 Sextus hic et decimus vitae mihi ducitur annus,  
 2 si verum nato rettulit ipsa parens.  
 3 Septimus incipiet, medio cum ardebit Olympo,  
 4 mensis ab Augusti tertia fine dies.

## AD MARCELLUM.

E1\_209 v.1 Non ego te idcirco vatem, Marcelle, negarim,  
 2 vulgares numeros quod tua Musa sonat.  
 3 Quid refert qua quis scribat bona carmina lingua ?  
 4 Laudamus mutam, si bene cantat, avem.

## AD BARTHOLOMAEUM.

E1\_210 v.1 Mutua da septem ; Superos et sidera testor,  
 2 semper debebo, Bartholomaeae, tibi.

## AD EUMDEM.

E1\_211 v.1 Non idcirco fidem laesi, quod credita nondum  
 2 persolvi ; laedam, si data reddidero.  
 3 Nam bene si memor es ; semper debere, nec umquam  
 4 reddere iuravi, Bartholomaeae, tibi.

## IN EXCOMMUNICATUM.

E1\_212 v.1 Interdicta tibi est hominum communio, et audet  
 2 vadere nemo una, nemo comesse simul.  
 3 Ast ego, censurae quamvis id, Marce, juberent,  
 4 nec conviva tibi, nec comes esse velim.

## DE SIGISMUNDO MALATESTA, TYRANNO ARIMINI.

E1\_213 v.1 Cum Malatestaeos aetas ventura triumphos,  
 2 cum tot Sismundi splendida facta leges,  
 3 nil nisi vana leges levium mendacia vatum,  
 4 quorum sola fuit Calliopea fames.

## DE EODEM.

E1\_214 v.1 Urbis Arimineaes modicus Malatesta tyrannus,  
 2 Caesaribus summis major in orbe sonat.  
 3 Sic e formica faciunt elephanta poetae,  
 4 cogunt et muscas fulmina ferre Jovi.

## DE SCLAVINIA.

E1\_215 v.1 Pars ea Pannoniae, quae nunc Sclavinia fertur,  
 2 pagos complures, oppida raragerit.

## DE FORTUNA AULICORUM.

E1\_216 v.1 Qui modo summus erat, nunc tota est imus in aula,  
 2 est hodie summus, qui fuit imus heri.  
 3 Tene juvat rebus, Fortuna, ita ludere nostris ?  
 4 Regia vel potius ludere corda suis ?

## DE BORSIO PRINCIPE FERRARIAE.

E1\_217 v.1 Qualis, ubi plena per noctem lampade fulsit,  
 2 pallida mox orto Cynthia fratre latet ;  
 3 succedens patria, Leonello, talis, in aula,  
 4 splendida germani Borsius acta premit.  
 5 Comprime plangores, cohibe, Ferraria, luctus,  
 6 jure potes fatis parcere, jure Deis.  
 7 Quod rapuere tibi, cumulo en majore refundunt,  
 8 ingenti pensant et tua damna lucro.  
 9 Felix qui tanto rediit cum fenore jactus ;  
 10 quae sic convaluit plaga, salubris erat.

## DE VINCENTINO NAVIGANTE.

E1\_218 v.1 Vincentinus eques, tumidi rudis ante profundi,  
 2 miratus Venetae, dum redit, urbis opes,  
 3 post vomitus crebros, et versum paene cerebrum,  
 4 post fractum, rigido robore, molle latus,  
 5 contigit ut litus ; "Non me vehet amplius, inquit,  
 6 ad culum quisquis frena caballus habet."

## AD ORNITUM.

E1\_219 v.1 Habin cerva, canis Cyrum, lupa nutriit illos,  
 2 quos gravida armifero Silvia Marte dedit.  
 3 Par Dis cura tui fuit Ornite ; nam tibi parvo  
 4 admovit mammas sus lutulenta suas.

## IN LUPUM FALLACEM.

E1\_220 v.1 Fert aliud Leucon, aliud Leuconis asellus,  
 2 dicere, si memini, Graecula turba solet.  
 3 Forsitan ista tuos tangunt proverbialia mores,  
 4 nam, Lupe, mens aliud quam tibi lingua gerit.

## AD ANELLUM.

E1\_221 v.1 Centum convivas, tam pauper, Anelle, vocasti,  
 2 cum te non pascas, pascis, Anelle, canes.

## IN PRISCAM.

E1\_222 v.1 Quid tibi cum claudio, dicebam, Prisca, marito ?  
 2 Optimus est claudus, Prisca, fututor, ait.

## DE HOMINE PRAEPOSTERO.

E1\_223 v.1 Quem tenebris vigilare juvat, dormire diebus,  
 2 cur non et versis vestibus ire juvat ?

## DE INTEMPESTIVE COMEDENTE.

E1\_224 v.1 Ante diem prandes, medio vix pronus Olympo,  
 2 deflexit Titan ; cena parata tibi est.  
 3 Quis ferat haec ? Illud tamen indulgebimus omnes,  
 4 exsul ab octava si, Ludovice, bibas.

## AD PROSPERUM.

E1\_225 v.1 Qui centena tuo numeravit nomine nobis,  
 2 attulit is nullum, Prosper, epistolium ;  
 3 an veritus non es centum cui credere numos,  
 4 es veritus totidem credere litterulas ?

## IN OTACUSTAS.

E1\_226 v.1 Inter tot mala, pessimi otacustae,  
 2 hoc unum facitis bonum, siletur.



## DE EISDEM.

E1\_227 v.1 Tanta est malorum copia otacustarum,  
2 ut ipse taceat Eustachi Ladislaus.

## DE EISDEM.

E1\_228 v.1 Plus jam, Lazare, quam tacere oportet,  
2 nil dicas, licet ; audit otacustes.

## IN GASPAREM.

E1\_229 v.1 Cum duo mitto tibi, reddis mihi carmina centum,  
2 sic tamquam numero sit superare satis.  
3 Sed nil, Gaspar, agis, nam libro Persius uno  
4 quam longam Marsi vicit Amazoniden ?

## IN SUPERFLUA QUAERITANTEM.

E1\_230 v.1 Hoc unum semper quaeris ; superetne Maronem  
2 Tullius ? An major sit Cicerone Maro ?  
3 Nescio ; verum illud belle scio, quod tibi numquam  
4 est visus, Procopi, nec Maro, nec Cicero.

## EPITAPHIUM ALFONSI, REGIS NEAPOLITANI.

E1\_231 v.1 Si Jovis ossa jacent Dictaeo condita busto,  
2 Alfonsi hic regis condita membra jacent.  
3 Jupiter aethereas sin possidet integer arces,  
4 integer Alfonsus sidera summa tene.

## EPITAPHIUM PAPAE PII II.

E1\_232 v.1 Cum totus petit astra Pius, de praesule tanto,  
2 indignata sibi est terra manere nihil ;  
3 sed frustra conata animam retinere volucrem,  
4 hic cupido pressit corpus inane sinu.

## EPITAPHIUM LEONELLI, FERRARIAE PRINCIPIS.

E1\_233 v.1 Principis hic artus Leonelli terra recepit,  
2 ast animam reducem lacteus orbis habet,  
3 huc illam pietas, huc virgo Astraea levavit,  
4 huc cum Pierio docta Minerva choro.  
5 Quodsi dexteritas, nitidae si gratia formae,  
6 corporeum pariter tollere posset onus ;

7 qua solum nunc parte sui tellure resedit,  
8 hac etiam summo fulgeret ille polo.

## ARTEMISIA AD MAUSOLUM.

E1\_234 v.1 In caelum si te poteram, dulcissime conjux,  
2 tollere, caeliferi pondus Atlantis eras.  
3 Quod licuit, pelagi fluida nec mersus in unda,  
4 nec tegeris vili contumulatus humo ;  
5 sed levat arte nova suspensum tertius aer,  
6 mortales ultra non valuere manus.

## IN VITUM.

E1\_235 v.1 Nomine te vitulum qui dixit, Vite, minuto,  
2 verius hic potuit dicere, Vite, bovem.

## DE MARSILIO FICINO.

E1\_236 v.1 Nuper in Elysiis animam dum quaero Platonis,  
2 Marsilio hanc Samius dixit inesse senex.

## ARISTOTELES ARGYROPYLO.

E1\_237 v.1 Gratia magna tibi, de Graio qui facis ut sim  
2 Italus ; et facilis, qui modo durus eram.  
3 Vix bene nota meis olim mea dicta Pelasgis,  
4 te duce nunc Latiis en patuere viris !  
5 Quid consanguinei quod sunt interpretes et auctor ?  
6 Possidet et geminum, Graecia nostra, decus ?  
7 Scriptores alios, ipsi vertere Quirites,  
8 at me, gentili munere, Roma legit.

## DE AMORE SUO IN LEDAM PUELLAM.

E1\_238 v.1 Flava Cupidineis laesit me Leda sagittis,  
2 nubere digna Deo, gignere digna Deos.  
3 Haec mihi nescio quas continget capta per artes,  
4 nam servat clausas Tyndarus ipse fores.  
5 Si via nulla patet, nisi quam mens alta Tonantis  
6 commenta est ; et me candida pluma tegat.

## IN SEVERUM.

E1\_239 v.1 Scripsisti egregium, Severe, librum,  
2 quo contemnere gloriam docemur.  
3 Quae si vile quid est putanda cunctis,  
4 ut credi cupis, et probare tentas ;  
5 quare tu minio tuum rubenti  
6 summo margine nomen adnotasti ?

## DE SUO LIBRO.

E1\_240 v.1 Ludimus ecce jocos, ades huc non taetrice Lector,  
 2 tu procul hinc contra, taetrice Lector, abi.  
 3 Triste supercilium cum sit tibi, ne lege nugas,  
 4 aut, si forte legis, pone supercilium.

## AD POETAM MARTIALEM.

E1\_241 v.1 Te, vatium optime, culte Martialis,  
 2 ludorum pater, et pater leporum,  
 3 nugarum simul, et facetiarum,  
 4 prae cuius sale Plautus ipse verna est,  
 5 qua possum, sequar in meis libellis.  
 6 Nec Phoebum libet, aut vocare Musas,  
 7 ut coeptis properent adesse nostris.  
 8 Unum te omnibus e Deis vocamus :  
 9 tu tantum licet aemulo poetae,  
 10 ne quaeso invidias tuos favores ;  
 11 quin si vera senis silentiosi,  
 12 est sententia, qui putavit unam  
 13 multos posse animam, volare in artus,  
 14 si mixtus sacer Ennio est Homerus,  
 15 postquam desierat superbus ales,  
 16 pictam sideribus levare caudam ;  
 17 nostras labere totus in medullas,  
 18 mentem certe ego si tuam merebor,  
 19 jam nostrae dabo, crede, commeatum.

## DE GALESO.

E1\_242 v.1 Non credis nostro, cur, Praetor inique, Galeso ?  
 2 Legitimos testes nonne Galesus habet ?

## AD TELESOPHORUM CINAEDUM.

E1\_243 v.1 Lis magna est nobis, formose Telesphore, tecum,  
 2 non tamen illa foro, verum agitanda foro.  
 3 Quid frustra ambigimus ? Testes admitte, probabo.  
 4 Nec tibi magnus erit succubuisse dolor.

## AD LUCIAM.

E1\_244 v.1 Quid nos, Lucia, temnis et repellis ?  
 2 Numquam displicuisse me puellae,  
 3 (sic vivam et valeam) recordor ulli.  
 4 Quodsi credere forsitan recusas,  
 5 magnis testibus approbare possum.

## DE AMBROSIO.

E1\_245 v.1 Non instrumento grandi, non testibus amplis,  
 2 in causa quicquam proficit Ambrosius.  
 3 Lis sibi cum Thecla est, sed quicquid pondere magno  
 4 proferat Ambrosius, nil nisi Thecla negat.

## DERIDET EUNTES ROMAM AD JUBILAEUM.

E1\_246 v.1 Mille quadringentis, Hyperion aureus, annis,  
 2 adjicit haec decimae tempora Olympiadis.  
 3 Natus ut aeterni, qui condidit omnia, patris,  
 4 prodiit intacta virgine factus homo.  
 5 Nunc propius quaerenda salus, et ad aethera clarum,  
 6 vilibus e terris maxima porta patet.  
 7 Jam Zephyri et Boreae gentes, Occasus et Arctos,  
 8 omne quod hinc Tanais claudit, et inde Tagus,  
 9 Romam festinant et confluit orbis in Urbem,  
 10 nec capiunt ipsae millia tanta viae.  
 11 Nescio credulitas haec si sua proderit ipsis,  
 12 hoc scio Pontifici proderit illa satis.

## DE EODEM.

E1\_247 v.1 Hispani, Galli, Sclavini, Teutones, Hunni,  
 2 clavigeri petitis limina sancta Petri.  
 3 Quo ruitis stulti, Latios ditare Telonas ?  
 4 Salvari in patria siccine nemo potest ?

## DE EODEM.

E1\_248 v.1 Jam fora cuncta viris, meritoria cuncta replentur,  
 2 agmine tam denso, barbara turba venit.  
 3 Ipsum, divitiis nullus non copo lacesset,  
 4 Cosmum, si talis proximus annus erit.

## DE CAUPONE QUI ANNO JUBILAEI DITATUS.

E1\_249 v.1 Pastor veris opes, aestatis carpit arator,  
 2 vinitor autumnus, lenta quiescit hiems.  
 3 Nec nisi raro capit quicquam piscator et auceps,  
 4 coponis nullo tempore lucra vacant.

## DE EODEM.

E1\_250 v.1 Nec mercatori, nec nunc ego bella gerenti,  
 2 nec nautae invideo, nec, Macer, agricolae,  
 3 nec medico, nec causidico, nec, crede, poetae,  
 4 cauponi multum sed, Macer, invideo.

## DE EODEM.

E1\_251 v.1 Utere, caupo, tuo, nunc utere si sapis anno,  
2 quam longe distant altera lustra decem !

## DE SE IPSO.

E1\_252 v.1 Laudas me nimium, priscis et vatibus aequas,  
2 mentiris, novi ; me tamen, Ode, juvat.

## IN CAROLUM.

E1\_253 v.1 Carole, memet amas, verum mea carmina damnas,  
2 hoc saltem velles, tectius ut loquerer.  
3 Parebo monitis, et flammea versibus addam ;  
4 insit visceribus menta pusilla tuis.

## LAUDAT CARMINA TITI STROZZAE.

E1\_254 v.1 Edita Strocigenae jam vatis Erotica tota  
2 vulgus in urbe sonat, culte Tibulle, vale.

## IN CELSUM.

E1\_255 v.1 Dico prudentem, dico te, Celse, disertum,  
2 omnia tu credis, mentiar ipse licet.

## IN AULUM.

E1\_256 v.1 Nil satis, Aule, tibi est : cupis omnia, et omnia captas ;  
2 quid dignum factis, imprecer, Aule, tuis ?  
3 Aut tibi, quanta Midae fuerat, sit copia rerum,  
4 aut Erysichthonia discruciare fame.

## IN CAROLUM.

E1\_257 v.1 Aureolos abs te peterem cum sorte novenos,  
2 utebar multis, Carole, blanditiis,  
3 nec dominum, nec te regem appellare verebar,  
4 tunc frugi et pulcher, doctus et acer eras.  
5 Miraris quod te contra nunc, Carole, culpo ;  
6 non ego, sed tempus dixerat illa tibi.

## DE DIONYSIO TYRANNO SYRACUSARUM.

E1\_258 v.1 Cum Siculis dapibus trepidus male vescitur hospes,  
2 ac suspensa horret tela, tyrannus ait :

3 "Haec mea condicio est, quem tu rebare beatum,  
4 i, nunc, felicem qui timet esse puta !

CONQUERITUR DE SUA INOPIA.

E1\_259 v.1 Nec remanere queo, sed nec discedere possum,  
2 talia jussa vocant, talia vincla tenent.  
3 Pressus in angusto quid agam ? Quae Numina clamem ?  
4 Sunt, puto, sed miseris dura favere negant.  
5 Te precor, affer opem, Mutinae placidissime praesul,  
6 o decus ! o Musis, prime patrone, meis !  
7 Non tamen aut boreae pulsorum flabra cucullum,  
8 aut mulae posco mollia terga tuae,  
9 nec frenum, aut sellam, nec quicquam tale ; quid ergo ?  
10 Debeo Guarino pauca : fidejubeas.

AD GALLIONEM.

E1\_260 v.1 Gallio, quid prensas ? Quid adhuc, infeste, resistis ?  
2 Si caveat, satis est, qui rediturus abit.

IN EUMDEM.

E1\_261 v.1 Si nec legitimi curas chirographa ligni,  
2 nec te nostra fides, Numina nostra, movent,  
3 securum faxo te praestet idoneus auctor,  
4 an dubitas etiam credere pontifici ?

AD JOANNEM ANTONIUM.

E1\_262 v.1 Quod tibi, Joannes Antoni, nulla refertur  
2 tam magnis in me gratia pro meritis ;  
3 ne crede ingratum, neve admirere ; referri  
4 gratia tunc debet, cum satis aequa potest.

CONQUERITUR, QUOD SE SOCII AD LUPANAR SE DUXISSENT.

E1\_263 v.1 Quo me, quo trahitis, mei sodales ?  
2 Ad foedum, puto, vadimus lupanar.  
3 Nam quis tam procul hic locus recessit,  
4 post pomoeria sacra, post tot hortos,  
5 cellis vilibus et frequens cathedris ?  
6 Fucatae quibus insident puellae,  
7 structuris caput arduae superbis,  
8 collo pendula vela gestitantes,  
9 nec pressae teretes sinu mamillas.  
10 Quidnam hoc ? Ille manu <sua> retractat, (vers lacuneux )  
11 ille amplectitur, hic perosculatur,  
12 in cellam praeit ille subsequenter.  
13 Ite hinc, ite, malam in crucem, scelesti ;  
14 non vos ducere me deambulatum

15 dixistis ? Simul ire cum negarem.  
16 Hoc me jam indice resciet Guarinus.

DE PAULO SUMMO PONTIFICE.

E1\_264 v.1 Qui modo Petrus eras, Paulus nunc diceris idem,  
2 ac Petri et Pauli culmina summa tenes.  
3 Clave potens, meritis reserat caelestia Petrus,  
4 at Paulus gladio noxia cuncta secat.  
5 Sic et tu amborum fungens vice, maxime praesul,  
6 percute sacrilegos, sidera pande piis.

AD LUNAM.

E1\_265 v.1 Quid metuis ? Terraene umbram ? Magicosne susurros ?  
2 A torvo potius, Luna, Leone cave.

DE BONONIA.

E1\_266 v.1 Quae poterat dici studiosa, Bononia, quondam,  
2 nunc eadem dici seditiosa potest.

DE SACRILEGO.

E1\_267 v.1 Terreus iste Jovem spectans, quasi talia fatur :  
2 "Terra, volo, mea sit, tu, pater, astra tene."

DE THRASYBULO LACEDAEMONIO. E GRAECO, ANTHOL. L. III CAP. 5.

E1\_268 v.1 In clypeo exanimis Pitanen venit Thrasybulus,  
2 septena Argolico vulnera ab hoste ferens,  
3 cuncta adversa tamen ; perfusum sanguine, flammis  
4 Tynnichus injiciens, protulit ista senex :  
5 "Dent timidi lacrimas, ego te sine fletibus uram,  
6 nate, meum nec non et Lacedaemonium.

EPITAPHIUM GUARINI.

E1\_269 v.1 Guarinus jacet hic, linguam diffudit in orbem  
2 qui Latiam ; Latio reddidit Inachiam.

EPITAPHIUM CHRISTOPHORI GALLI, MEDICI.

E1\_270 v.1 Nomine Christophorus fuerat, cognomine Gallus,  
2 cujus in hoc tumulo condita membra jacent.  
3 Heu quantum distat natali a sede sepulcrum !  
4 Pannonia exstinxit, Brixia progenuit.  
5 Saepe colos medica fatales arte morantem,  
6 tres indignatae praeripuere Deae.

## QUALEM OPTET AMICAM.

E1\_271 v.1 Si jaceat mecum laeta et lasciva, licebit  
 2 ne sit bella nimis, neve puella nimis.  
 3 Non tristis facies, non me rudis allicit aetas,  
 4 omnibus his unam plus amo nequitiam.

## IN ADULTERUM.

E1\_272 v.1 Cum vicina magis sectare cubilia Crispo,  
 2 uxorem quare non potes, Arbe, tuam ?  
 3 An tibi securo languet permissa voluptas ?  
 4 Nec nisi in illicito mentula amore viget ?

## IN GRILLUM.

E1\_273 v.1 Aurea Pythagoras, argentea carmina fecit  
 2 Phocilides ; sed tu plumbea, Grylle, facis.

## IN CRISPUM.

E1\_274 v.1 Hispani ne, quaeso, legas epigrammata vatis  
 2 cum mea legisti, sed tua, Crispe, legas.

## DE LITTERA PYTHAGORAE.

E1\_275 v.1 Turma gruum bifido tranat connexa volatu,  
 2 inde novae Samio ducta figura notae.

## IN MERETRICEM LASCIVAM.

E1\_276 v.1 Cum ventrem ventri, femori femur, ora labellis  
 2 conserui, et dxoop nfouxmb delituit, (cf. E1\_141)  
 3 principio cunctas vincis lasciva puellas,  
 4 nequitiae et cedit nostra libido tuae.  
 5 Amplexus hederas superant, et basia conchas,  
 6 nec deest officio, dextera, lingua, natis.  
 7 Postquam effusa tibi est nimium festina voluptas,  
 8 jam satis est, clamas, Lucia, jam satis est !  
 9 Quid medium praecidis opus ? Quid inepta repugnas ?  
 10 Expecta, nondum, Lucia, efgxuxk.

## UBI ASINI EXONERANTUR.

E1\_277 v.1 Dura, viatores, deponite pondera lassi,  
 2 nam jubet hic asinos exonerare locus.



## IN THECLAM.

E1\_278 v.1 Dum culta incedis, major mihi, Thecla, videris  
 2 quam fuit Alcmene, quam fuit Andromache ;  
 3 stringere cum nudam volui, tunc corpore majus  
 4 deplumata tuo, noctua corpus habet.

## IN OVILLUM.

E1\_279 v.1 Esse super terras si quis, genus Acephalorum  
 2 haesitat, is vultus cernat, Oville, tuos.  
 3 Nam tibi tam parvum caput est, ut sit prope nullum,  
 4 at minor et nullo est sensus, Oville, tibi.

## IN HODUM.

E1\_280 v.1 Pomorum genus est, quae turpia, sed bona dicunt,  
 2 tu dici bellus, sed potes, Hode, malus.

## IN ADULTERUM.

E1\_281 v.1 Dum quasses aliena fulcra moechus,  
 2 uxori propriae, Severe, parcis.  
 3 Sic, cui cellula rumpitur Falerno,  
 4 vicina bibit Hodus e taberna.

## DE CARMINIBUS SUIS.

E1\_282 v.1 Accipitrum et leporum si te repetita fatigat  
 2 fabella, Hispani respice vatis opus.  
 3 Invenies illic, toto quam saepe libello,  
 4 velox Marmarico, ludat in ore lepus.

## BELENES.

E1\_283 v.1 Brigida Belinis, sive haec tibi nomina, regum  
 2 Bela parens, certae sive dedere ferae,

## IN BRIGIDAM PODAGROSAM.

E1\_284 v.1 Brigida dum molli podagrosa quiescit in herba,  
 2 repsit ad infirmum longa colubra pedem.  
 3 Quam simul adspexit toto circum orbe volutam,  
 4 prosiliens stratis currere coepit anus.  
 5 Nec deinceps ullos sensit curata dolores,  
 6 contulit et casus quod medicina negat.  
 7 Seu timor id fecit, seu tactos forsitan in artus,  
 8 Paeonia arcanam bestia misit opem.  
 9 Heu ! sua quam meritis redduntur praemia raro,  
 10 ille opifer serpens fuste peremptus obit.

11       Indice me, reduci fueras mox digna chiragra,  
12           in benefactorem, semina iniqua, tuum.

DE BILBILI.

E1\_285 v.1       Bilbilis et ferrum pariter producit et aurum,  
          2           perdere mortales ista metalla solent.  
          3       Aurum nam bellis causas et pabula praebet,  
          4           cudit de ferro noxia tela faber.

IN LADVANCUM.

E1\_286 v.1       Est, mollis Ladvance, tibi tam mascula conjux,  
          2           uxoris possis uxor ut esse tuae.

DE BYZANTIO. E GRAECO.

E1\_287 v.1       Prima mihi Odrysius praetendit moenia Byzas,  
          2           proxima Amyclaeo, debeo, Pausaniae.  
          3       Haec postquam Libyci trux verterat ira Severi,  
          4           abstulit Augustis, qui sua regna, tribus,  
          5       reddidit hinc lapsos, mutato nomine, muros,  
          6           dum secat Ausonium, Flavius, imperium.

IN PROSPERUM.

E1\_288 v.1       Quam te, Prosper, amem, potes hoc cognoscere solo, :  
          2           in caelum e terris te quod abire velim.

IN LUCIAM.

E1\_289 v.1       Hunc cum, Lucia, mentulatiorem  
          2       qui nasatior est inepta credas,  
          3       rivali puto me carere summo,  
          4       quod nondum tibi visus est Philemon.

IN LUCIAM EAMDEM.

E1\_290 v.1       Cum juvenes poppysma rogant, tu, Lucia, nasum  
          2       inspicias, et quantum prominet ille notas.  
          3       Hoc perpendiculo virgas metire viriles,  
          4       hic tibi pro palmo est scilicet, et cubito.  
          5       Si placuit nasus, placet illico mentula amantis,  
          6       nec plus blanditiis addita dona valent.  
          7       Nil jam in te lenone opus est, nil arte magistra,  
          8       lenonis vires nasus et artis habet.  
          9       Nec nisi nasatus tecum decumbit adulter,  
         10       ut jam ego me fieri rhinocerota velim.  
         11       Lucia, crede mihi, multum prognostica fallunt,  
         12       in me nam certe regula vana tua est.

## DE EADEM.

E1\_291 v.1 Astutus modo Luciam sodalis,  
 2 miri fraude nova doli subegit.  
 3 Nasum, qui sibi non satis tumebat,  
 4 nam crabronibus obtulit notandum.  
 5 Sic dum turgidus ore subrubenti,  
 6 transire assimulat, vocatus ultro est.

## VERBA CLYTAEMNESTRAE AD FILIUM ORESTEM. E GRAECO. ANTH. L. I. CAP. 30.

E1\_292 v.1 In ventremne tuum vel mammas dirigis ense ?  
 2 Haec te mamma aluit, venter at iste tulit.

## AD LIBROS SUOS.

E1\_293 v.1 Vos, Ovidi, Lucane, Maro, si sorte potestis,  
 2 mutua praestetis bis mihi, quaeso, decem.  
 3 Cessatis ? Jam vos faxo Judaeus habebit,  
 4 qui servat magnae, lintea juncta, viae.  
 5 Istic ignavi tineas et pascite mures,  
 6 nil opus est vestris nunc mihi carminibus.  
 7 Nunc mihi opus nummis ; quarto vos mense videbo,  
 8 venerit interea si quid ab Hungaria.

## IN JUDAEUM FENERATOREM.

E1\_294 v.1 Lucanum, et juncto pariter Nasone, Maronem,  
 2 redde mihi Juda, seu mage tu Salomon.  
 3 Quid dubitas ? Ego tres olim tibi nempe libellos,  
 4 inspice si Jani chartula nomen habet.  
 5 Quis modus usurae ? Sortem, inquis, foenus adaequat.  
 6 Si verum dicis, perfide, non redimo,  
 7 hic pereant ; tanti vix illos auctio vendet ;  
 8 insanit suamet pignora quisquis emit.

## DE LEONIBUS PER FLORENTINOS MISSIS AD MATTHIAM REGEM.

E1\_295 v.1 Non tibi, Matthia, rex invictissime, frustra  
 2 gens Massyleum misit Etrusca pecus.  
 3 Multarum fecit par convenientia rerum,  
 4 haec merito possent ut tibi dona dari.  
 5 Tu Princeps hominum, princeps leo nempe ferarum,  
 6 nobilis ille juba, pulcher es ipse coma.  
 7 Unguibus ille ferox, gladio tu fortis et hasta,  
 8 parcere tu victis, parcere et ille solet.  
 9 Quid, quod idem ducibus clarum est insigne Boemis ?  
 10 Grande novi sceptri scilicet omen habes.

## DE IISDEM LEONIBUS AD EUMDEM REGEM.

E1\_296 v.1 Junge, licet, sacros, junge ad tua frena leones,  
 2 hoc tibi, Matthia, dat Cybele ipsa decus.  
 3 Seu te per terras vectari forte juvabit,  
 4 non cadet illorum sub pede laesa seges.  
 5 Sive voles pelago, Neptuni currere ritu,  
 6 Planta levis summa non madefiet aqua.  
 7 Tu tamen in caelum potius, sed serus, abito,  
 8 novere has etiam talia monstra vias.

## DE IISDEM AD EUMDEM.

E1\_297 v.1 Nil est, magnorum Matthia maxime regum,  
 2 quod jam dite petas amplius e Latio.  
 3 Tota tibi in varios Oenotria certat honores,  
 4 quaelibet et proprias ora ministrat opes :  
 5 aurum, Roma parens, Veneti sua serica mittunt,  
 6 praebet cornipedes Apulus, arma Ligur.  
 7 Contulerat nullum Florentia sola tributum,  
 8 quae nunc Marmaricas obtulit, ecce, feras.  
 9 Dignum te nostro vectigal et illa pependit  
 10 iudicio : fortem fortia dona decent.

## DE IISDEM, AD EUMDEM.

E1\_298 v.1 Haud leviter quondam laetatum Eurysthea dicunt,  
 2 nec decus id titulis vile putasse suis,  
 3 Alcides cum prima viri mandata secutus,  
 4 torva Cleonaeae protulit ora ferae.  
 5 Clarior at quanto est, Matthiae gloria regis ?  
 6 Cui venit hic longe, sed duplicatus, honos.  
 7 Quippe illi extremis geminam, nec jussus, ab oris,  
 8 sponte tua mittis, monstrifer Arne, jubam.

## IN LAPPUM.

E1\_299 v.1 Pauper eram, tunc me nec noscere, Lappe, volebas,  
 2 sum locuples, offers mutua, Lappe, decem.  
 3 Sume triplum dono, sed condicione sub illa,  
 4 ut miser, adverso Numine, semper agas.

## DE ROMANORUM POTENTIA. E GRAECO.

E1\_300 v.1 Julius aethereas divus cum scanderet arces,  
 2 Jupiter ad Superos talia dicta dedit :  
 3 "Nec pontus, rerum dominos, nec terra, Quirites,  
 4 jam capit, en etiam sidera nostra petunt !"

## DE EODEM. E GRAECO. ANTHOL. L. I CAP. 5.

E1\_301 v.1 Aeternum magni, Deus, obstrue lumen Olympi,  
 2 arces custodi, Jupiter, aethereas.  
 3 Jam mare, jam terras, virtus Romana subegit,  
 4 nec nisi sidereum scandere restat iter.

## AD MATTHIAM REGEM.

E1\_302 v.1 Quae te ultra tellus, quae gens feret, inclyte regum ?  
 2 Quis non auditas procidet ante tubas ?  
 3 Quandoquidem saevi tibi jam cessere Boemi,  
 4 haud umquam externum natio passa jugum.  
 5 Si venit insignis, de quolibet hoste, triumphus,  
 6 hactenus invicto qualis ab hoste venit ?

## IN CAROLUM.

E1\_303 v.1 Antiquarius es, dicis mihi Carole ; certe ;  
 2 sed pejus multo est esse neotericum.

## IN PAULUM.

E1\_304 v.1 Orationem, Paule, tu prosam dictas,  
 2 ego dulce carmen concino, sed ut censent  
 3 sane haud maligni iudices, nec indocti,  
 4 ambo figuris utimur parum bellis ;  
 5 facio archaismos, Paule, ego, et metaplasmos,  
 6 tu barbarismos et sacis soloecismos.

## IN UGONEM.

E1\_305 v.1 Divitior cum sim, cum sim te junior, Ugo,  
 2 sanguinis et clari nobilitate prior,  
 3 cum melius cantem, cum pulchro pectore praestem,  
 4 cur dat nulla mihi ? Cur tibi nulla negat ?  
 5 An te tam gratum fecerunt balnea nuper ?  
 6 Nempe illic multis mentula visa tua est,  
 7 mentula Sileni quantam nec vector habebat,  
 8 Hellespontiaco mentula digna Deo.  
 9 Nimirum huic omnes se devovere puellae,  
 10 haec praemit, haec dotes obruit una meas.

## DE VULVA URSULAE.

E1\_306 v.1 Blanda est lingua tibi, mollis caro, vultus honestus  
 2 ante opus et nobis, Ursula, tota places ;  
 3 cum vero incubui, tam laxo mentula cunno  
 4 incidit, ut cunnum nec subiisse putet.  
 5 Non latus aut fundum sentit, velut aere nudo  
 6 palpitet, in liquidis vel spatietur aquis.

7 Sed vasto infelix late bacchatur hiatu,  
 8 ac frustra in votum nititur aegra suum.  
 9 Nec vibrare nates, aut stringere brachia prodest,  
 10 alta nec in scapulas tollere crura juvat.  
 11 Conatus pereunt, perit omnis sudor anhelii  
 12 pectoris, et ruptis ilibus ossa dolent.  
 13 Dii tibi vel tollant quo digna videris amari,  
 14 vel tribuant possis, Ursula, quo futui.

## IN THEODORUM.

E1\_307 v.1 Antiquarius es nimium, Theodore, nec illis  
 2 uteris in nitido quae Cicerone legis,  
 3 sed Plauti tibi verba placent, et si qua protervus  
 4 incidit priscis Appius in tabulis.  
 5 Nec nisi sumpta probas de docto nomina Festo,  
 6 quondam roboreis illita caudicibus.  
 7 At Cadmi linguam non affectavit Homerus,  
 8 nec Numa Pilumni, Scipiadesque Numae.  
 9 Quodsi bella negas, culto quae protulit usu,  
 10 aetas bis senis inclyta Caesaribus,  
 11 jam, licet, usurpes, quae dixit Tullus et Ancus,  
 12 quae fratri et tenero tradidit Acca Remo  
 13 vel potius Fauno Picus, Faunusve Latino,  
 14 Evandri quibus est vaticinata parens ;  
 15 exsul quae Latiis didicit Saturnus in oris,  
 16 qualia non uno Janus ab ore dabat.  
 17 Scilicet istud agis, solum miremur ut omnes,  
 18 falleris ; haud tali gloria calle venit.  
 19 Sit tibi praesentum sermo, sit vita priorum,  
 20 laudari si vis et, Theodore, legi.

## CUR STELLATUM SIT CAELUM.

E1\_308 v.1 Ante fuit simplex caeli color ; ast ubi furto  
 2 Titanum, paene est regia capta Jovis,  
 3 arcis Olympiacae tum demum in turribus altis,  
 4 astrorum excubias disposuere Dei.

## IN NON RESTITUENTEM MUTUUM.

E1\_309 v.1 Plus me, tu perdis, data quod duo reddere non vis,  
 2 si duo reddisses, mille daturus eram.

## IN LUPUM.

E1\_310 v.1 Mutua dissimules cum solve, munera mittis ;  
 2 redde meum primo, da, Lupe, deinde tuum.

## IN EUMDEM.

E1\_311 v.1 Grandem te et luscum, vere Cyclopa vocamus,  
2 verius id fiet cum, Lupe, caecus eris.

## IN VITUM.

E1\_312 v.1 Lector et auditor cum desit, Vite, requiris  
2 cur scribam ; Muis et mihi, Vite, cano.

## IN GUIDONEM.

E1\_313 v.1 Cum sis pauperior Codro vel Iro,  
2 cur dives, Guide, quaeris aestimari ?  
3 Conducti tibi quid, rogo, clientes ?  
4 Quid falso virides vitro smaragdi ?  
5 Quid mentita Tyron lacerna prodest ?  
6 Sortis praestigiae beatioris.  
7 An passim tibi ducis invideri ?  
8 Nec cuiquam esse putas cor aut ocellos ?  
9 Sed jam te licet esse ditioem  
10 Lydorum simul, et Phrygum tyrannis,  
11 ostendas, Guide ; credimus, fatemur,  
12 dum sis pauperior Codro vel Iro.

## IN UGONEM.

E1\_314 v.1 In re vis omni, sapiens nimis, Ugo, videri,  
2 sed minus ille sapit, qui nimis, Ugo, sapit.

## IN LINUM DOCENTEM PAEDICARE.

E1\_315 v.1 Praeco salutiferi, Line, flagrantissime verbi,  
2 siccine deterres turpibus a vitiis ?  
3 Cum quis paedicat, fugere inquis daemones omnes,  
4 quis non paedicet, si, Line, vera refers ?

## IN EUMDEM.

E1\_316 v.1 Interpres, Line, codicum sacrorum,  
2 Francisci rigidam secute sectam ;  
3 audires mea forte confitentem  
4 dum me crimina ; saepe non negavi,  
5 lascivo cubuisse cum cinaedo.  
6 Tu zelo, illicet, ac furore plenus,  
7 clamasti subito per omne templum,  
8 cur tantum facinus miser patrassem ?  
9 Hoc egi, Line, non libidinose,  
10 sed taetros uti daemones fugarem.

## DE EODEM.

E1\_317 v.1 Orabam frustra, frustra jejunos agebam,  
 2 nil opis in donis, nil erat in crucibus ;  
 3 nam tanto diris gravius tentabar ab umbris.  
 4 Sed nunc paedico ; daemones aufugiunt.

## DE EODEM.

E1\_318 v.1 Infesti possent qua daemones arte fugari,  
 2 nemo prius norat ; nunc Linus edocuit.

## DE EODEM.

E1\_319 v.1 Ite procul supera lapsi de sede maligni ;  
 2 formosus nostro est Troilus in gremio.

## DE NEGANTE MUTUUM.

E1\_320 v.1 Mutua nescio cui dederam duo nuper amico,  
 2 accepisse tamen perfidus ille negat.  
 3 Jactura o felix ! O nobis utile damnum !  
 4 Si duo solvisset, mille daturus eram.

## DE VULVA URSULAE.

E1\_321 v.1 Totus devoror Ursulae barathro,  
 2 Alcide, nisi subvenis, perivi.

## DE EADEM.

E1\_322 v.1 Taenarias videor fauces, alta ostia Ditis  
 2 ingressus, quoties, Ursula, te futuo.  
 3 Tam patet inguinei siquidem descensus Averni ;  
 4 sed revocare gradum plurimus inde labor.  
 5 Nam quanto pressi magis, hoc magis atra vorago  
 6 panditur, et late cedit inane Chaos,  
 7 quod caperet teneri coeuntia semina mundi,  
 8 quo possent atomi pervolitare leves.  
 9 Nec tantum penem, sed testes, ilia, lumbos,  
 10 devorat, ac pariter brachia, crura, caput.  
 11 Pridem me trepidi planta eduxere ministri,  
 12 tractus ab Alcida Cacus ut ante fuit.  
 13 Desine jam miseros Erebo deducere manes,  
 14 amplius hic barathrum, Pliade nate, patet.

## DE EADEM.

E1\_323 v.1 Quantus ad aethereum caeli suspectus Olympum,  
 2 in praeceps tantum bis tibi vulva patet.



3 Hujus non toto sentirem Cerberon antro,  
 4 non Stygis hanc obeant flumina tota novem.  
 5 Haud illinc, Castor fraterna morte, redisset,  
 6 virtute Alcides, carmine Threicius.  
 7 Si sciat hoc rector Superum, qui jactat ab alto,  
 8 facta Pyracmonia tela trisulca manu,  
 9 hac et Aloidas geminos demergat abysso,  
 10 huc pariter Coeum trudat et Iapetum.  
 11 Si Parnasiacae sciat hoc Deus incola Cirrhae  
 12 vulture rodendum porrigat hi, Tityon.  
 13 Nec quinquagenis immanem faucibus hydram,  
 14 ipse alio Pluton mallet hiare loco.  
 15 Omnia sed quamvis concurrant monstra, nequibunt  
 16 dimidia cunnum parte replere tuum.

## ROMA AD HOSPITES.

E1\_324 v.1 Quisquis es, ignotis huc vecte a sedibus, hospes,  
 2 advena nunc, olim civis et ipse meus ;  
 3 seu levis ambitio, seu lis te huc improba duxit,  
 4 seu peregrinandi religiosus amor ;  
 5 hoc te, care hospes, precor urbs veneranda Quirini,  
 6 cum secura tuis otia rebus erunt ;  
 7 percensere meas pia sit tibi cura ruinas,  
 8 sic videas patriae moenia salva tuae ;  
 9 vel si festinas, semel udo lumine saltem,  
 10 adspice sim qualis, concipe qualis eram.

## DE PIO PONTIFICE MAXIMO, QUI OBIIT IN EXPEDITIONE CONTRA TURCOS.

E1\_325 v.1 Cum Pius in Turcos pia tollit signa Secundus,  
 2 dum culpant segnes strenua bella patres,  
 3 dum simul Occasus sequitur, simul Arctos euntem,  
 4 solvere dum classem, dum dare vela parat ;  
 5 Hadriaci exstinctus Piceno in litore ponti,  
 6 famosum subito funere rupit iter.  
 7 Sis licet ingentis, vana spe lusa, triumphi,  
 8 da veniam fatis, anxia Roma tamen.  
 9 Praecisas neu plange vias ; fortasse fuisset  
 10 pervenisse minus quam properasse fuit.

## IN UGONEM.

E1\_326 v.1 Barbara me mater quod protulit, objicis, Ugo ;  
 2 de Phrygia nati sunt genitrice Dei.

## AD TROILUM.

E1\_327 v.1 Vis tua facta canam, nec vis dare, Troile, quicquam,  
 2 sed dicis : "Tua sic fama perennis erit."  
 3 Nil de te scribam licet, hoc Tirynthius heros,  
 4 hoc Ithacus nobis, hoc dabit Aeacides,

5 vel Pagasaea ratis, vel mutua vulnera fratrum,  
 6 vel pars Romanae quaelibet historiae.  
 7 Quid, quod tu pariter celebraberis ? Et tua semper  
 8 vivent nominibus nomina juncta meis ?  
 9 Aut etiam si me neglectus omiserit index,  
 10 te tamen insignem pagina tota feret.  
 11 Nil ago ; cunctaris pretium taxare poetae ;  
 12 haec summa est : vel da, Troile, vel taceo.

## AD EUMDEM.

E1\_328 v.1 Troile, non tantum nostrae mea carmina prosunt,  
 2 sed famae prosunt amplius illa tuae.  
 3 Fac tamen amborum ponantur commoda in aequo ;  
 4 sic etiam medium jure subibis onus.  
 5 Pallori nostro sit inanis gloria merces,  
 6 at vobis constet, quod venit inde, decus.  
 7 Si pro me non vis, vel pro te, Troile, soldas,  
 8 perdo meam partem, perdere nolo tuam.  
 9 Hoc eme de nostro, gratis hoc sume, libello,  
 10 qui sua partitur non vel iniquus homo est.

## AD RULLUM.

E1\_329 v.1 Quantum Phryx Mida, Lydiusve Croesus,  
 2 vel Xerxes habuit, paterve Xerxis,  
 3 tantum si tibi, Rulle, opum suarum,  
 4 pleno Copia fundat alma cornu,  
 5 dici non poteris tamen beatus,  
 6 affectum nisi comprimis habendi.  
 7 Non, cum plurima, Rulle, possidentur,  
 8 sed cum nil cupitur, beatitudo est.

## IN LIPPUM.

E1\_330 v.1 Mendicissime de meis amicis,  
 2 si censum tibi, Lippe, dent equestrem,  
 3 censores levium, Dei, bonorum,  
 4 jam numquid <fu>eris memor sodalis ? (vers lacuneux)  
 5 Vel centum tibi mutuabo numos,  
 6 nec totis, ais, exigam calendis.  
 7 Nolo sim tibi, Lippe, tam molestus ;  
 8 istud, nunc quod es, esse persevera.

## AD STOICUM QUEMDAM.

E1\_331 v.1 Virtutem nihil exteris egentem,  
 2 invictam, inviolabilem, incoactam,  
 3 semper, Stoice, praedicas "echephron",  
 4 quam qui pectore possidebit alto,  
 5 nudus, mille licet ferat labores,  
 6 plagas, vulnera, carceres, catenas,

7 quamvis per cumulos Libyssae arenae,  
 8 Arctoaeve nivis, vagetur exsul ;  
 9 non, inquis, poterit miser vocari,  
 10 sed semper bene vivet ac beate.  
 11 Respondere sinas tibi me, "echephron",  
 12 concedo, bene, sed nego, beate.  
 13 Aut pugnancia copulare si vis,  
 14 dicas hunc misere licet beatum,  
 15 sin perstas, et adhuc tenere crudum,  
 16 ac defendere dogma perseveras ;  
 17 Dii talem tibi dent beatitatem !

## DE SUA AETATE.

E1\_332 v.1 Sextus hic et decimus vitae mihi ducitur annus,  
 2 si nato verum tradidit ipsa parens,  
 3 septimus accedet, cum flava cucurrerit aestas,  
 4 mitior et Phoebum devehet Erigone.  
 5 Jam mihi vox gravior, jam pubes inguina circum  
 6 serpit, et in Venerem mentula saepe tumet.  
 7 Ignea jam visa vibrantur corda puella,  
 8 jam mihi, per somnum, lintea saepe madent.  
 9 Eminus hinc igitur moneo, liberte, recedas,  
 10 quem puero comitem cura paterna dedit.  
 11 Cedat et hircoso trux cum tutore magister,  
 12 nec juris quisquam me vetet esse mei.  
 13 Hac, nucibus, teneris hae luce renuntio bullis,  
 14 hac, decus Ausoniae sumo virile togae.

## IN SYLLAM.

E1\_333 v.1 Cum debes mihi, Sylla, fingis iram,  
 2 ne te scilicet aes meum reposcam,  
 3 sed dicam : tibi habe, modo gravari  
 4 desistas, et ut ante, sis amicus.  
 5 At numquam hoc ego dixerim, sed illud :  
 6 quantum me libet oderis, licebit,  
 7 obtrectes, miniteris, insequaris,  
 8 dum tantum mihi creditum refundas.

## DE THESPI ET AESCHYLO. E GRAECO.

E1\_334 v.1 Primus plaustrisono mirandus carmine Thespis  
 2 unxit picta sui faecibus ora chori.  
 3 Proximus ingentem traxit per pulpita pallam,  
 4 Aeschylus, et fictas addidit arte genas.

## DE THESPI.

E1\_335 v.1 Coepit sordidus ore faeculento,  
 2 plaustris carmina vectitare Thespis.

## IN CYPRIANUM.

E1\_336 v.1 Quo tibi personam ? Nudo licet ore vageris,  
2 omnes larvatum te, Cypriane, putant.

## IN EUMDEM.

E1\_337 v.1 Quod toties ficta, tua velas ora, figura,  
2 Non solo facis hoc, tu Cypriane, joco ;  
3 sed magis ut foedus, tali sub imagine vultus,  
4 deliteat ; larvam sic tibi larva tegit.

## DE SE IPSO.

E1\_338 v.1 Ille ego et haec cecini Dravum generatus ad altum,  
2 perlege et haec, si quis cetera forte legis.

## DE VERSIBUS MARCELLI A SE LATINE EXPRESSIS.

E1\_339 v.1 Saepe suas flammam veteres flevere poetae  
2 cuilibet et, pro se, Musa diserta fuit.  
3 Nos in amore rudes, Marcelli lusimus ignes,  
4 quos modo vulgari luserat ille lyra.  
5 Sive voles cultos, Itala testudine, rhythmos,  
6 ille dabit quales ante Petrarca dedit.  
7 Seu cupies elegos Latia sub lege sonantes,  
8 sumetur vacuo pagina nostra tibi.

## DE EODEM PAULO ALITER.

E1\_340 v.1 Saepe suos ignes veteres cecinere poetae,  
2 cuilibet et, pro se, Musa diserta fuit.  
3 Ipse in amore rudis, Marcelli incendia lusi,  
4 ille ego Pannoniae gloria prima meae.

## DE AGNETE. (VEL POTIUS, DE ALTE).

E1\_341 v.1 Agnes, vita, tuos quoties contemplor ocellos,  
2 sidera me toties bina videre puto ;  
3 sidera sed toto longe pulcherrima caelo,  
4 qualia sunt nitido cum Jove nostra Venus,  
5 aut inter fixos stellarum Sirius ignes,  
6 Sirius Arcturo si coeunte micet.

## IN MALCUM.

E1\_342 v.1 Jejunam tolerare sitim, sudare sub armis,  
2 frigus et insani caumata ferre canis,

3 cum belle possis haec omnia ; non potes illud.  
4 Ne facias, male fit, cum bene, Malce, tibi est.

IN SENECAM LIPPUM.

E1\_343 v.1 Quid, Seneca, obtusos frustra causaris ocellos ?  
2 Ingenium clades adjuvat ista magis.  
3 Testis Democritus, qui, quo sapientior esset,  
4 luminibus tenebras intulit ipse suis.  
5 Caecus erat Cyclops, calamis cum dulce creparet,  
6 cum caneret Trojam, caecus Homerus erat.  
7 Caecus et ille senex, Pyrrho qui pace negata,  
8 reppulit a Latio dedecus imperio.  
9 Stesichorus sonuit melius, cum lucis egebat ;  
10 plus etiam Thamyryn tunc placuisse ferunt.  
11 Caecum divitiis dominatur Numen ; an hoc est,  
12 tam male quod mundi distribuuntur opes ?  
13 Caecus Amor, Graio si verum carmine lusit  
14 Sicelis arguti fistula Simichidae.  
15 Quid, quod et ipsa caret nitido Rhamnusia visu,  
16 omnia quae rapidae, ventilat orbe rotae ?  
17 Hoc tamen illa unum recte justissima vidit,  
18 quod de te, Seneca, reddidit Oedipodem.

AD GUARINUM.

E1\_344 v.1 Non te mellifluae Nestor Homericus,  
2 linguae dulciloquo nectare vicerit.

DE NARCISSO ET PYGMALIONE.

E1\_345 v.1 Visa in aquis suamet Narcissum torsit imago,  
2 Pygmalion mutum stultus amavit ebur.

DE SE QUOD AMARE COEPISSET.

E1\_346 v.1 Quod mihi divino tu saepius ore solebas  
2 dicere, nunc, Michael, exitus ecce probat.  
3 Haesimus, et totis concepimus ossibus ignem,  
4 concidit et tandem spiritus ille meus,  
5 cum te dementem dementia nostra vocabat,  
6 cum mox ridendo tu mihi risus eras.  
7 Quare in amore rudi, doctissimus ipse, sodali,  
8 consilium quaeso, confer et auxilium.

AD MAGDALENAM.

E1\_347 v.1 Commater mea, Magdalena, quantis  
2 te possum precibus, misellus oro,  
3 praestes auxilium meo furori.  
4 Priscam depereo tuam propinquam ;

5 hanc, quae continuis fere diebus,  
 6 ad te ventitat, assequente nullo,  
 7 tecum lusitat, ambulat, lavatur,  
 8 tecum cantilat, et tuos per hortos  
 9 cervo saltitat ocior quadrimo.  
 10 Novi, quam tibi nil neget jubenti ;  
 11 quantum consilio tuo acquiescat ;  
 12 tu si praecipias, diebus octo,  
 13 potum non capiet, cibo abstinebit,  
 14 commenda, precor, huic meos amores,  
 15 neu me despiciat, mone propinquam,  
 16 quodsi plus aliquid mihi ordinares,  
 17 illud quod prohibet pudor fateri,  
 18 donarem tibi quicquid ipsa velles.

## AD LUCIAM.

E1\_348 v.1 Laesisti stultae morsu me, Lucia, linguae,  
 2 nunc ego me culicem, scilicet esse velim.  
 3 Ut possem contra te laedere ; nunc ego maestus  
 4 quam jaceo, fieret tam tibi amara quies.

## OPTAT COITUM PUELLAE.

E1\_349 v.1 Agnes, da mihi quod tuo marito ;  
 2 quodsi des, tamen inde nil peribit.  
 3 Ambos quod pariter datum juvabit,  
 4 ad quod vos opifex Deus creavit,  
 5 quodsi non foret, unde gigneremur ?  
 6 Quod mater tua si patri negasset,  
 7 nec tu nata fores, tui nec isti,  
 8 qui me urunt facibus suis ocelli.  
 9 Semper quod dare feminae potestis,  
 10 semper sumere quod viri nequimus.  
 11 Quod praesens placet, urit affuturum.  
 12 Nec triste est, nisi quando non habetur.  
 13 Quod terram replet, et profunda ponti,  
 14 quo jucundius esse nil putatur.  
 15 Primo quod dare virgines recusant,  
 16 aeternum dare deinde concupiscunt,  
 17 quod dat Juno Jovi, Venus Gradivo,  
 18 quod mortalibus et deae dederunt.  
 19 Quod tu si dederis, lucrum assequeris,  
 20 quod si non dederis, diu dolebis.  
 21 Respondet nihil, ergo jam negavit,  
 22 sed ridet tamen, ergo jam spondit.

## AD GEORGIUM.

E1\_350 v.1 Nil mihi das, quando tristi das fronte, Georgi,  
 2 larga suam faciem debet habere manus.

## DE LUCIAE PROGNOSTICO.

E1\_351 v.1 Fecit Virgilius Prognostica, fecit Aratus,  
 2 praesciat unde imbres rusticus, unde Notos.  
 3 [LACUNE]  
 4 [LACUNE]  
 5 hoc, juvenes, vestris Prognosticon addite libris,  
 6 quod nec Virgilius, sed nec Aratus habet.

## DE LUCIAE PROGNOSTICO.

E1\_352 v.1 Pisaeo a stadio doctissimus ille sophorum,  
 2 mensuram plantae repperit Herculeae ;  
 3 Lucia cum nasum cujusquam mensa videndo est,  
 4 inguinis extemplo conjicit inde modum.  
 5 Vel Physiognomon es, Lucia, vel geometres,  
 6 tale magisterium sola Mathesis habet.

## IN GRILLUM.

E1\_353 v.1 Socratis effigiem damnavit Zopyrus olim,  
 2 quid si vidisset, pessime Grylle, tuam ?

## DE CORPORIBUS MATHEMATICIS.

E1\_354 v.1 Punctum sit, cujus non possis sumere partem.  
 2 Extento gracilis decurrat linea puncto.  
 3 Inde superficiem geminato linea tractu  
 4 efficiat, nullo pateat quae lata profunda.  
 5 Bina superficies solidi vim corporis edat,  
 6 quod longo, et lato dimensum constat et alto,  
 7 tessera, seu cubus, seu quadrantale vocatum ;  
 8 quod promptum semper quovis consistere jactu,  
 9 sena superficies, octonus et angulus ambit.

## DE MONADE ET DYADE, NUMERIS.

E1\_355 v.1 Quod sit prima Monas summae Deitatis imago,  
 2 mascula dividuas admittere nescia partes,  
 3 non numerus, verum numeri pollentis origo.  
 4 Haec Dyadem geminata creet, quam prima secare  
 5 possit, et imbellem referat, ceu femina, sexum.

## AD LAZARUM.

E1\_356 v.1 Valde crassus homo es, crebro mi, Lazare, dicis ;  
 2 qui te non novit, Lazare, crassus homo est.

## AD JUSTINAM.

E1\_357 v.1 Mel, Justina, meum, mea cara sororcula, quare  
 2 missa remisisti munera nostra tibi ?  
 3 Non ideo misi, quo te corrumpere vellem,  
 4 sit procul a nobis hic, mea vita, furor.  
 5 Sed magis ut scires, quam te devotus amarem,  
 6 vult aliquo nosci pignore castus amor.  
 7 Qualiter offensam valeas pensare, requiris ?  
 8 Tu mihi fac mittas, ut nec ego accipiam.

## EPITAPHIUM NICOLAI PONT. MAX.

E1\_358 v.1 Quintum quae tegit urna Nicolaum,  
 2 cunctarum tegit artium parentem.

## DE TECTIS PER JO. ARCHIEP. STRIGONIENSEM INSTAURATIS.

E1\_359 v.1 In cathedra Petri, Paulo residente Secundo,  
 2 tertius imperium dum Fridericus habet,  
 3 haec instauravit Joannes tecta Sacerdos,  
 4 funditus obruerat quae prius ignis edax.  
 5 Pro quibus officiis aeternum vivat Olympo,  
 6 sed postquam in terris vixerit ille diu.

## DE AENEA PIO SUMMO PONT.

E1\_360 v.1 Qui fuit Aeneas, mutato nominis usu,  
 2 nil aliud certe quam Pius esse potest.

## AD PAULUM.

E1\_361 v.1 Carminibus nostris nocet illud, Paule, notavi,  
 2 quod non sunt Latiis edita consulibus.  
 3 Quidvis cana facit multo pretiosius aetas,  
 4 rebus et a longo tempore surgit honos.  
 5 At tu, si quando mea legeris, esse putato  
 6 prisca ; videbuntur sic meliora tibi.

## IN RUFUM.

E1\_362 v.1 Ne scribam prohibes, et immerenti  
 2 [LACUNE]  
 3 lecturos mea pejeras minores.  
 4 At nos et tua, Ruse, lectitamus.

## AD PAULUM.

E1\_363 v.1 Cum dare non valeas quantum petit improba Lais,  
 2 iudice me, frustra, Paule, Corinthon adis.



## DE AMATORE LIBORUM VETERUM.

E1\_364 v.1     Sunt quaedam, prope mille, puto, jam scripta per annos,  
           2         docta quidem, sed non et speciosa satis.  
           3         Tu tamen illa magis quam nostra poemata laudas,  
           4         hoc solo quod sint anteriora meis.  
           5         Tanta tibi nunc est prisca reverentia saeculi,  
           6         tam senium, canos et venerare dies !  
           7         At rerum plures novitate placere videmus,  
           8         non carie et putri, Bartholomaeae, situ.  
           9         Quid pro perversis adeo tibi moribus optem ?  
 10         Haec opto quamvis exitiosa parum :  
 11         plus sapiat musto, vetus ut tibi vappa Falerno,  
 12         nec gustare nisi marcida poma velis.  
 13         Dormiat et tecum formosa Polyxena numquam,  
 14         verum Hecube, sed jam non anus, immo canis.

## FRAGMENTUM, QUOD SUPERIORI EPIGRAMMATI ATTEXTUM ERAT A SAMBUCCO.

E1\_365 v.1     Turris avicularum, qua cincta palustribus undis  
           2         instrepat argutis persona passeribus.

## IN PINDOLAM.

E1\_366 v.1     Quid mihi, nescio cur, arrides, Pindola, semper ?  
           2         Istud non novi qua ratione facis,  
           3         nil umquam de te merui bene ; nil tibi certe  
           4         ante dedi, sed nec forte deinde dabo ;  
           5         crustula tu nobis tamen, et diapasmata donas,  
           6         vel ficos plena castaneasve manu.  
           7         Saepe ultro calamum largiris, saepe papyrum,  
           8         saepe mihi dicis "Sum tuus, esto meus."  
           9         Qui reblandiri norunt, blandire Latinis,  
 10         Pindola, dedidici nondum ego barbariem.

## AD JULIUM.

E1\_367 v.1     Scribendi ratio cum sit, vel sola poetis  
           2         gloria, vel certe maxima ; solus is es  
           3         qui scripta abscondas. Vel, Juli, plus sapis unus,  
           4         vel nihil omnino, quod mage credo, sapis.

## AD EUMDEM.

E1\_368 v.1     Quid tua tantum in te peccarunt carmina, Juli ?  
           2         Tristibus in tenebris semper ut illa premas.  
           3         Nec levius serves quam carcere quaestor in imo  
           4         custodit, si quos ultima poena manet.  
           5         Tandem ea mitte foras, aut si meruere necari,  
           6         fige cruci, vel sic perfruitura die.

## IN PINDOLAM.

E1\_369 v.1 O scelus ! O facinus ! Quare mihi saepe solebas,  
 2 Pindola, blandiri, jam scio, jam video.  
 3 Quippe meum, pudet heu ! Paedicas ecce sodalem,  
 4 nam sic praeceptor nominat illud opus,  
 5 quando incurvati pueri fodit inguine culum  
 6 major, et obscenis turpe tremit natibus.  
 7 Istud idem tu nempe mihi patrare volebas,  
 8 hinc illae illecebrae dona et amicitiae !  
 9 Nil tibi nobiscum, nil nobis, pessime, tecum,  
 10 jam tua sunt etiam munera amara mihi.  
 11 Reddo datos calamos, malesuadas reddo papyros,  
 12 quin et, si possim, poma comesa vomam.  
 13 Vana loquor, nihil ille rubet, nihil improbus horret,  
 14 mulcet adhuc blanda, sed mea colla, manu.  
 15 Desinis ? An clamo, "succurrite ! Pindola numquam  
 16 dat requiem ! Vel sic, o scelerate, fugis."

## AD RINUCIUM.

E1\_370 v.1 Sunt natae tibi nubiles, Rinuci,  
 2 moratae satis, et satis decentes.  
 3 Has tu tradere nuptui laboras,  
 4 ac toto generos foro requiris ;  
 5 sed sic aedibus intimis retrusas  
 6 custodis, uti Perseos parentem  
 7 Argivus socer aurei Tonantis.  
 8 Non illas, miser, ad sacella, sanctas  
 9 non accedere praedicationes  
 10 permittis, quoties pater Rubertus  
 11 rauca se crucifigit in cathedra.  
 12 Nedum visere festa, vel choreas,  
 13 per convivia vel sinis vagari,  
 14 aut communibus interesse ludis.  
 15 Non est haec via filias locandi,  
 16 o vicine pater ; meo nec umquam  
 17 hunc tu consilio modum sequeris.  
 18 Sed venalia mercium tuarum,  
 19 prima fronte locabis officinae,  
 20 imis nec penetralibus recondes.  
 21 Tali tractus ut hospes illecebra,  
 22 vel nolens emat, et nec autumanti,  
 23 securum tibi promat arrabonem.  
 24 Omnis, iudicio meo, Rinuci,  
 25 maturae genitor viro puellae  
 26 mores debet habere venditoris.

## AD JULIUM.

E1\_371 v.1 Gratum est, quod mea perlegenda poscis,  
 2 Juli, carmina ; gratius sed illud

3        esset, si tua mitteres vicissim.  
 4        Nam sunt iudicio diserta nostro,  
 5        nec communis habent notam monetae,  
 6        cunctis et dubio procul placerent.  
 7        Sed tu sic ea condis, et relegas  
 8        intra scrinia, cistulas, locellos,  
 9        communita seris fere ducentis,  
 10       ut nec sol valeat videre, summo  
 11       solus qui omnia cernit ex Olympo.  
 12       Tam servas vigili reposita cura,  
 13       quam Phoebi Scythicos aves smaragdos,  
 14       quam custos suos Inachi juvencam,  
 15       quam mala Hesperidum, pecusve Phryxi,  
 16       nullo perdomitus sopore serpens.  
 17       Securus potes esse, nec rapacis  
 18       ullas praestigias timere dextrae.  
 19       Non haec Autolycus, nec ipse posset  
 20       furari Autolycci pater sagacis,  
 21       subreptor Clariae Deus pharetrae,  
 22       Titani radios, Stygi tenebras,  
 23       qui vafro queat amovere furto.  
 24       At possunt tineae, potest teredo,  
 25       ac mus improbus, et situs putrescens.  
 26       Quare si sapias, amice Juli,  
 27       captivos ita detinere versus,  
 28       parces, ut capitis reos nocentes.  
 29       In lucem magis efferes apertam.  
 30       Nolunt Pieriae latere merces,  
 31       quas fama pretium manet perennis.  
 32       Quodsi perpetuo legi recuses,  
 33       multo simplicius nihil reponas.

EPITAPHIUM GEORGII MORE.

E1\_372 v.1        Fida jacet nostrae tutela Georgius arcis,  
                                 amissam Martis nunc ego credo manum.  
 2                                  Vix reducem castris, rapuit domus ; occidit aeger,  
 3                                  inter tot sospes qui modo tela fuit.  
 4                                  I nunc, et placidae lentus confide quieti,  
 5                                  cum minime speras, mors inopina venit.  
 6                                  Ille tamen pulchro fuerat per vulnera leto  
 7                                  dignior ; ignavos segnia fata decent.  
 8

DE MANCO.

E1\_373 v.1        Arva fodit mancus, regit et jumenta flagello ;  
 2                                  redde manus illi ; desidiosus erit.

IN DEMETRIUM.

E1\_374 v.1        Morio Demetri, nempe intellecta patescit  
                                 ars tua, deprenso fallere parce dolo.  
 2                                  Nam sapis, immo equidem plus quam sapis : omnia lustras  
 3

4 tu loca, nec te usquam, lauta culina latet.  
 5 Mentiris, numos poscis, dicteria dicis,  
 6 qui facit haec non est morio, sed nebulo.

## IN EUMDEM.

E1\_375 v.1 Fingis te, miser, esse morionem,  
 2 vivas scilicet ut labore nullo.  
 3 Nobis morio non tamen videris ;  
 4 numquam morio taliter jocatur,  
 5 nullus morio litigare novit.  
 6 Nescit morio corrogare numos,  
 7 nil non morio praestat exigenti,  
 8 quicquid praecipio, statim facessit,  
 9 quicquid porrigo, corripit libenter :  
 10 tu structae petis unctiora mensae,  
 11 turdos, sumina, Phasidas, botellos ;  
 12 lambis crustula, devoras placentas,  
 13 nec potas, nisi de priore musto.  
 14 Quare morio verus est habendus,  
 15 qui te censeat esse moriorem.

## IN CRISPUM.

E1\_376 v.1 Nil danti tibi, Crispe, quod nihil do,  
 2 dicis me minus esse liberalem.  
 3 Qui nil dantibus ipse multa donat,  
 4 non est, ut puto, Crispe, liberalis,  
 5 quidnam est ergo ? rogas, furens et excors.

## IN EUMDEM.

E1\_377 v.1 Das mihi, Crispe, nihil ; vis dem tibi multa petenti,  
 2 os tibi deest ; deerit cor mihi, si faciam.

## IN EUMDEM.

E1\_378 v.1 Vina rogas ; dabimus, si tu des, Crispe, caballum,  
 2 nam tua belligerum vix capit herba pecus.  
 3 Da gratis, inquis ; nescis, puto, lege caveri,  
 4 ut curatorem prodigus accipiat.

## MICHAELI VITEZIO NEPOTI.

E1\_379 v.1 Misisti clypeum nobis ; si miseris hastam,  
 2 Martis ero, Phoebi qui modo miles eram.

## FRAGMENTUM ALICUJUS EPIGRAMMATIS SINE LEMMATE.

E1\_380 v.1 Invia saxa prius, Matthias pervia fecit,  
2 haec erat Herculea, gloria digna, manu.

## JAN. PANNONIUS AD AENEAM SILVIUM.

E1\_381 v.1 Si Bilblitani tibi sunt epigrammata vatis,  
2 protinus huc ad nos, fac precor, illa volent.  
3 Nonne vides quantos moveat Fortuna tumultus ?  
4 Nec sperare sinat nos meliora timor ?  
5 Tempore sollicito tragicos deponere luctus  
6 convenit, et levibus pellere maesta jocis.

## RESPONFIO AENEAE SILVII AD JANUM PANNONIUM.

E1\_382 v.1 Venisli Latia madidus Graecaque Minerva,  
2 ut qui Guarini discipulum referas.  
3 Dulce canis, vena stillant de divite versus,  
4 doctiloqui titulos vatis habere potes.  
5 Non est cur tecum temptare in carmina vires  
6 conemur, bello non bona dextra seni est.  
7 Dum juvenes fuimus, Pegasaeo e fonte liquores  
8 hausimus, et nullum scribere pondus erat.  
9 Nunc oblita mihi sunt carmina, frigit aetas,  
10 atque sepulcralis unica cura mihi est.  
11 Quae Bilblitani quaesisti epigrammata vatis,  
12 ad te se celeri proripuere gradu.  
13 Namque liber cum te Latiis didicisset ab oris  
14 adventum ; subito profugus hinc abiit.  
15 Teque petens dixit : "Docti peto tecta Joannis,  
16 hic meus hospes erit, bic mea dicta leget.  
17 At si quae currant nunc tempora conspicias, et spes  
18 afflictas, non nunc ludere, flere licet.  
19 Non bene versiculos, sacrata nocte, petulcos,  
20 invisas ; Christi sumere dicta decet.  
21 Cedant e manibus dulces, tua cura, poetae,  
22 et divino animum codice pasce, vale.

## JO. PANNONII RESPONSIO.

E1\_383 v.1 Causaris senium, ne mecum carmine certes,  
2 sed plus eloquio pectora cana valent.  
3 Aptior est tirone rudi veteranus in armis,  
4 certius et vitulo taurus aratra movet.  
5 Nos petimus, tu summa tenes ; spes lubrica nobis  
6 spondet adhuc, quod jam res dedit ipsa tibi.  
7 Nec dum Pegaseis, te Cynthus arcet ab undis,  
8 non vox refrixit, non lyra muta silet.  
9 Ergo cave, ne qua cupis excusatus haberi,  
10 accuses illa, te ratione magis.  
11 Quod Bilblitani rogitavi epigrammata vatis,  
12 suspecta est, video, nostra juvena tibi.

13 Crede, precor, melius ! Relegi non improba possunt,  
 14 lascivos, oculo praetereunte, modos.  
 15 Ille quidem gressu profugo mea castra petivit,  
 16 sic tamen ut redeat cum revocabit herus.

## EJUSDEM AD EUMDEM.

E1\_384 v.1 Desine, quaeso, meas, Aenea, poscere Musas,  
 2 auribus et dignas esse putare tuis.  
 3 Non radios Phoebus Lunari sumit ab umbra,  
 4 nec petit a rivis, maxima Tethys aquas.  
 5 Adde quod Italiae veni novus hospes ab oris,  
 6 nec, si quod lusi, me comitatur opus.  
 7 Ipse tuos potius nobis transmittite libellos,  
 8 nec dubites, censor non ero, lector ero.

## EPITAPHIUM ANDREOLAE, MATRIS NICOLAI V. P.R.

E1\_385 v.1 Matronale decus, et moribus incllyta sanctis,  
 2 Andreola, obscuro cubat hic celebrata sub antro,  
 3 quae gemino, fudit Christo, duo sidera partu ;  
 4 retia Nicolaum moderantem mystica Petri,  
 5 cardine Bononiae sacratum jure Philippum.  
 6 Hanc igitur natis illustrem mundus adoret.

## ALIUD IN EAMDEM.

E1\_386 v.1 Cui Deus immensi patiens consortia regni,  
 2 et caeli et rerum mundi permisit habenas,  
 3 Pontifici summo, Nicolao ex ordine Quinto ;  
 4 [LACUNE]  
 5 Andreolae hunc sacro genuerunt viscera partu.  
 6 Adde et puniceo redimitum sacra galero  
 7 tempora, Bononiae servantem jura Philippum.  
 8 Quae defuncta, brevi jacet hoc contenta sepulcro.  
 9 Cui probitas morum, nec sancta modestia vitae,  
 10 incllyta nec soboles produxit longius annos.  
 11 At praelustre suum fecere in saecula nomen,  
 12 mens quoque sidereas, qua venerat, ivit ad arces.

-----

.../...

## II

## EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS (264 vers)

(Hic liber ea complectitur quae vel in editione Frobeniana,  
vel Sambucina reperiuntur.)

## EPITAPHIUM BARBARAE MATRIS SUAE.

E2\_1 v.1 Nobilior vitae meritis quam praesule nato,  
2 hac sub marmorea, Barbara, mole jacet.  
3 Dum licuit, stirpis fovit pia cura parentem,  
4 illi dulce fuit sospite prole mori.  
5 Nunc pro se vicibus Numen caeleste precantur,  
6 filius in terris, mater in arce poli.

EPITAPHIUM CLARISSIMAE MATRONAE, DOMINAE ANDREOLAE,  
NICOLAI V. PONT. ROMANI ET PHILIPPI CARDINALIS BONONIENSIS MATRIS.

E2\_2 v.1 Cujus puniceum proles gerit una galerum,  
2 altera Romanae praesidet ecclesiae,  
3 Andreola hoc sacro recubat conclusa sepulcro,  
4 membra solum repetunt, spiritus astra tenet.  
5 Postera venturae vix credent saecula famae,  
6 tam brevis ut teneat viscera tanta locus.

## EPITAPHIUM IN BARTHOLOMAEUM MONTAGNAM PHYSICUM.

E2\_3 v.1 Qui fueras medicae doctor celeberrimus artis,  
2 hoc situs in tumulo, Bartholomaeae, jaces.  
3 Credo te Stygias mundo invidisse sorores,  
4 miratas raros Tartara ad ima trahi.  
5 Quippe incredibiles poteras depellere morbos,  
6 et vitae, exanimas reddere paene viros.  
7 At licet exstinctus sis corpore, nomine vivis,  
8 nam longe Ausonio clarus in orbe viges.

## EPITAPHIUM IN HECTOREM SACRATUM.

E2\_4 v.1 Sacratae hoc tumulo gentis decus occubat Hector,  
2 cui virtus claro sanguine major erat.  
3 Hunc pietas Superis, probitas mortalibus, olim  
4 principibus gratum fecerat alma fides.  
5 Tunc etiam aethereis, animam cum redderet, astris,  
6 Rodigio praeses jura verenda dabat.

7 Exstinctum cuncti flerunt ; nam comis in omnes,  
8 justitiae salva sed gravitate, fuit.

ABIENS VALERE JUBET SANCTOS REGES, WARADINI.

E2\_5 v.1 Omnis sub nive dum latet profunda  
2 tellus, et foliis modo superbum  
3 canae dum nemus ingravant pruinae,  
4 pulchrum linquere Chrysiū jubemur,  
5 ac longe dominum volare ad Istrum.  
6 Quam primum, o comites, viam voremus.  
7 Non nos flumina, nec tenent paludes,  
8 totis stat gelidum gelu lacunis.  
9 Qua nuper timidam subegit alnum,  
10 nunc audax pede contumelioso,  
11 insultat rigidis colonus undis.  
12 Quam primum, o comites, viam voremus  
13 non tam gurgite molliter secundo,  
14 lembus remigio fugit volucris,  
15 nec quando Zephyrus levi suburgens,  
16 crispum flamine purpuravit aequor,  
17 quam manni rapiunt traham volentem,  
18 quam primum, o comites, viam voremus.  
19 Ergo vos calidi, valetate fontes,  
20 quos non sulfurei gravant odores,  
21 sed mixtum nitidis alumen undis,  
22 visum luminibus salubriorem,  
23 offensa sine narium ministrat.  
24 Quam primum, o comites, viam voremus.  
25 Ac tu, bibliotheca, jam valetate,  
26 tot claris veterum referta libris,  
27 quam Phoebus Patara colit relicta,  
28 nec plus Castalios amant recessus,  
29 vatū Numina, Mnemonis puellae.  
30 Quam primum, o comites, viam voremus  
31 aurati pariter valetate reges,  
32 quos nec sacrilegus perussit ignis,  
33 dirae nec tetigit fragor ruinae,  
34 flammis cum dominantibus per arcem,  
35 obscura latuit polus favilla ;  
36 quam primum, o comites, viam voremus.  
37 At tu, qui rutilus eques sub armis  
38 dextra belligeram levas securim,  
39 cujus splendida marmorū columnis,  
40 sudarunt liquidum sepulcra nectar,  
41 nostrum rite favens iter secunda.  
42 Quam primum, o comites, viam voremus.

HYMNUS IN MUSAS, APOLLINEM, JOVEMQUE, AB HOMERO PUERO EDITUS,  
LATINUS FACTUS JANO PANNONIO INTERPRETE. AD LUDOVICUM CYPRIUM.

E2\_6 v.1 Vos, o Thespiades, et carminis auctor Apollo,  
2 et tu stelliferi pater ac moderator Olympi,  
3 ardor inest vestras nobis exponere laudes.



4 Vos o Thespiades, et carminis auctor Apollo,  
 5 orbe viros toto vocali carmine claros,  
 6 redditus, et dulces cithara datis edere cantus.  
 7 At tu, magne parens, radiantis rector Olympi,  
 8 purpureos ornas pulchro diademate reges,  
 9 imperiale decus, et sceptrum nitentia donans.  
 10 Ille tamen cunctis felicior, ille beatus,  
 11 scilicet et merito fortunatissimus ille est,  
 12 dulcia cni doctae tribuerunt carmina, Musae,  
 13 cui dedit ipse suum jaculator Apollo furorem.  
 14 Illi nectareus sacro de pectore sermo,  
 15 suavior et flavi manat dulcedine mellis ;  
 16 de Jove nunc igitur genitae salvete sorores !

AD LUDOVICUM CYPRIUM, DE HYMNO.

E2\_7 v.1 Nos tibi versiculos, Ludovice, dicavimus istos,  
 2 o decus, et saeculi gloria magna tui !  
 3 Hos ego de sacro converti nuper Homero,  
 4 qui tibi mansuri pignus amoris erunt.

PRO PACE.

E2\_8 v.1 O pater omnipotens, qui caelum et sidera solus  
 2 aeterna ditione premis, defige potentes  
 3 his miseris oculos terris, quas Marte feroci  
 4 vastari cernis, longoque perire duello.  
 5 Et nobis tandem tribuas, pater optime, pacem,  
 6 quae mala cuncta procul mortesque repellit acerbas.

AD GALEOTTUM PRO DONO QUODAM.

E2\_9 v.1 Pectora si magnum redolerent nostra Maronem,  
 2 divinusque meo sub corde lateret Homerus,  
 3 et mea centenis resonarent guttura linguis,  
 4 vix, Galeotte, tibi meritas persolvere grates,  
 5 munere pro tali facundia nostra valeret.  
 6 Tot tibi sint igitur grates, quot litus arenas,  
 7 Tmolus habet vites, maturas Gargara messes,  
 8 dulcis Hymettus apes, vastas Hyrcania tigres,  
 9 quot gruibus Strymon, niveis palus Asia cygnis,  
 10 glandibus Epirus, quot abundat frondibus Ide,  
 11 quot fluvii pisces, quot sidera stellifer axis,  
 12 terra feras nutrit, volucres agitabilis aer,  
 13 quot segetes aestas, vernalia tempora flores,  
 14 quot pater Autumnus dulces in vite racemos,  
 15 humentes pluvias quot bruma novissima gignit,  
 16 irrigui pictis quot abundant floribus horti,  
 17 arboribus montes, maturis frugibus agri.  
 18 Ergo vale, et nostri reminiscere semper amoris.

## AGIT GRATIAS SIGISMUNDO MAZONO.

E2\_10 v.1 Ocius ite Deae, celeres, precor, ite Camenae,  
 2 corripi dulcisonam, pulcher Apollo, lyram ;  
 3 et tot Mazono, pro munere, reddite grates,  
 4 quot tenues umbras regia Ditis habet.  
 5 Quot flores pratis, quot sunt super arbore frondes,  
 6 quot fulgens rapido sidera fixa polo.  
 7 Aequoreum flavis quot abundat litus arenis,  
 8 quot gignit rabidas terra Libyssa feras,  
 9 et quot in Adriaco versantur gurgite pisces,  
 10 quot gerit horrentes Pannonis ursa pilos.

## PRO CONVIVIO, AD PHILIPPUM BIBIUM.

E2\_11 v.1 Quas tibi pro tanto referemus munere grates ?  
 2 Quae dabimus meritis praemia digna tuis ?  
 3 Tu decus es Bibiae, lumenque, propaginis ingens,  
 4 tu patriam, insigni laude, sub astra ferēs.  
 5 Urbs Genuae semper tanto exsultabit alumno,  
 6 et quondam Idaliae Cypros amata Deae.  
 7 Rerum opifex summus, tibi det quaecumque rogabis,  
 8 et tribuat factis praemia digna tuis.

## AD GUARINUM VERONENSEM.

E2\_12 v.1 Te precor, o nostri decus et nova gloria saeculi,  
 2 qui calles linguas, docte Guarine, duas,  
 3 quo jam tot fuimus sub praeceptore per annos,  
 4 hospes ut in cena nunc meus esse velis.  
 5 Quam dedit Evandro laudem Tirynthius hospes,  
 6 hanc dabis ipse mihi, si meus hospes eris.

## RESPONSIO GUARINI VERONENSIS. \*

E2\_13 v.1 Convenere pares paribus, convenit et aetas  
 2 omnis, ero melius cum senibus senior.  
 3 Maturos refugit nutus urbana juvenus,  
 4 et jocus et ludus cum seniore tepent.  
 5 Quare agite, o juvenes, risus et amoena vocate,  
 6 ne turbent faciles seria dura jocos.

## REFELLIT GUARINICAM EXCUSATIONEM.

E2\_14 v.1 Seria sunt, quae dura vocas, gratissima nobis,  
 2 nec poterunt nostris illa nocere jocis.  
 3 Immo tua haud parvum mensae praesentia nostrae  
 4 splendorem, poterit, clare Guarine, dare.  
 5 Frenaque ne nostro nimium sint libera ludo,  
 6 neve suum excedant gaudia nostra modum.  
 7 Illa augusta tui faciet reverentia vultus,

8 et gravitas, magno dignaque forma Deo.  
 9 Nec tamen inter nos et te juvenilia quaedam,  
 10 quamquam sis canus, dicere turpe puta.  
 11 Quippe nec in seris, (ex te hoc audivimus) annis,  
 12 horruit urbanos Tullius ipse sales.  
 13 Socrate quis gravior fuit, aut quis sanctior umquam ?  
 14 Lusit cum pueris saepius ipse suis.  
 15 Isse datur quondam (non est ea fabula falsa)  
 16 Stoicus ad Florae facra jocosa Cato.  
 17 Tantorum exemplis igitur moveare virorum,  
 18 et quae saepe probas, ne fuge facta sequi.  
 19 Ne fuge, sed quamvis cum dispare jungere turba,  
 20 nec mihi rescribas, sed magis ipse veni.

JANUS MANUELI.

E2\_15 v.1 Accipe, quaeso, tui munuscula parva Joannis,  
 2 exhilares frontem, dum capis, ipse tuam.  
 3 Ante tamen nobis memor esto ignoscere, quod non  
 4 redduntur meritis praemia digna tuis.

AD ANTONIOLUM PLACIDUM.

E2\_16 v.1 Marsupium numo, numus custode crumena  
 2 indiget ; hoc etiam munera nostra probant.

AD JANUM PANNONIUM, QUINQUE ECCLESIARUM EPISCOPUM PORCELIUS POETA. \*

E2\_17 v.1 Sume, pater divine, tui munuscula vatis,  
 2 quae veniunt patriis, aurea mala, locis.  
 3 Gratus odos, dulcisque sapor, non aspera tactu,  
 4 dives Atlantiadum qualia ramus habet.  
 5 Munere sis liceat majori dignus, et auro,  
 6 cum venit ex animo gratia, digna Jove est.  
 7 Ture vaporatas si laeti incendimus aras,  
 8 contentos parvo credimus esse Deos.  
 9 Ergo tuum vatem, munusque amplectere toto  
 10 pectore, mens magna est, munera parva licet.

JANUS P. PORCELIO POETAE.

E2\_18 v.1 Misisti nobis et mala et carmina vates,  
 2 nec factum hoc casu sed ratione reor.  
 3 Totum me duplici voluisti pascere dono,  
 4 hic solet esse animi, corporis ille cibus.  
 5 Quam numeri oblectant mentem, tam poma palatum,  
 6 ista sapore placent, illa lepore juvant.  
 7 Mala aurum superant, et vincunt carmina gemmas,  
 8 aurum da et gemmas, deteriora dabis.  
 9 Poma nec Alcinous misisset talia nobis,

10 carmina nec Clarius, tam bene culta, Deus.

CUIDAM PETRO.

E2\_19 v.1 Ante revertetur tepidos Hyperion ad ortus,  
 2 excipiet stabilem Tethyos unda polum,  
 3 Riphaeis nivibus canescere desinet orbis,  
 4 nullus in Oceani gurgite piscis erit.  
 5 Mella ferent rupes, quercus producet aristas,  
 6 quam meus in Petrum diminuatur amor.

CUIDAM ARDUA SUADENTI.

E2\_20 v.1 Quae mihi misisti Clarium redolentia vatem,  
 2 accepi placida carmina docta sinu.  
 3 In quibus altarum memorans praeconia laudum,  
 4 siderei tollis me super astra poli,  
 5 ac me sanguineas hortaris dicere pugnas,  
 6 et tot magnanimum splendida gesta ducum.  
 7 Si mihi Pierium praestabit Apollo favorem,  
 8 parebo monitis, clare poeta, tuis.  
 9 Sed mihi Castallum nec spirant pectora nectar,  
 10 nec sunt Aonio labra rigata lacu.  
 11 Non mihi Pegaseae veniunt in carmina vires,  
 12 ut possim tantos edere voce duces.  
 13 Non verso tautum tenero sub pectore robur,  
 14 tanta negant humeri pondera ferre mei.  
 15 Postmodo maturis fuero cum doctior annis,  
 16 si potero monitus sorte subibo tuos,  
 17 interea fixum teneas sub corde Joannem,  
 18 digna Maronea carmina voce canens.

CHRISTOPHORO CRISPO.

E2\_21 v.1 Scribere, Crispe, jubes regis me proelia nostri,  
 2 nec non magnanimi fortia facta patris.  
 3 Si superent vires, nec desint otia nobis,  
 4 exsequar hortatus forsan, amice, tuos.  
 5 Sed sunt non culicis memorandi voce leones,  
 6 nec bene grandisonas cantat avena tubas.  
 7 Tu, cui cura minor, simul et facundia major,  
 8 cur aliis mandas quod magis ipse potes ?

EPITAPHIUM IN ANDREAM MARIONUM SOPHISTAM.

E2\_22 v.1 Quisquis ad hoc rigidum, flectis tua lumina, saxum  
 2 perlege flebilibus carmina scripta notis.  
 3 Andreas parva jacet hac Marionus in urna,  
 4 qui doctor logicae maximus artis erat.  
 5 Vincere sed duram nequiere sophismata mortem,  
 6 quis fertur reliquos exsuperasse viros.  
 7 Nil tibi, quin caderes, juvenilis profuit aetas,

8           nec genus et mores ingeniumve capax.

EPITAPHIUM HOMERI.

E2\_23    v.1     Mole sub hac situs est heroum orator Homerus,  
          2           qui transis, dicas : summe poeta vale.

IN EPIPHANIAM.

E2\_24    v.1     Virginis partu Deus ortus infans  
          2     pauper in feno cubat, hunc asellus  
          3     bosque cognoscit Dominum ; resultant  
          4           astra triumphis.  
          5     Ecce pastores, ovibus relictis,  
          6     convolant Bethlem, videant ut ortum  
          7     principem mundi ; properant et acti  
          8           sidere reges.  
          9     Quos et Herodes rogat, ut reversi,  
         10     nuntient, qua sub regione Christum  
         11     viderint, ut sic veniens adoret  
         12           illius aras.  
         13     At Magi tandem, puero reperto,  
         14     procidunt proni, positis tiaris,  
         15     dona deponunt, teneris ferentes  
         16           oscula plantis.  
         17     Suscipit ridens Puer hic, parentem  
         18     gaudio plenam, lacrymis et inde  
         19     gestat, at justus capit ille sanctus  
         20           munera Joseph.  
         21     Ast iter docti melius, sub alta  
         22     nocte felices redeunt tyranni,  
         23     ad lares castos referuntque laudes,  
         24           dulcis Iesu.  
         25     Cautus Herodes pueros trucidat,  
         26     Christus Aegyptum fugit in propinquam  
         27     matre cum sancta, madet innocentum  
         28           sanguine tellus.  
         29     Gloriam Patri chorus angelorum  
         30     concinat nato, pariterque sancto  
         31     Spiritu, qui sunt Deus ille noster,  
         32           trinus et unus.

-----